QVOMODO PERSEI FABVLAM ARTIFICES GRAECI ET ROMANI TRACTAVERINT

DISSERTATIO ARCHAEOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XVIII MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXXII HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

Friedrich Heinrich Carl,
(FRIDERICVS) KNATZ
HASSVS

ADVERSARII ERVNT

LVDOVICVS ZIEHEN
MATTHIAS MEINHOLD
IOHANNES DRAGENDORFF

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.
MDCCCLXXXXIII

FRANCISCO BVECHELER

GEORGIO LOESCHCKE

HERMANNO VSENER

Monumenta ad Persei fabulam pertinentia primus quantum scio collegit C. O. Mueller, Handbuch der Archaeologie der Kunst, qui de Danae egit § 351, 4, de Perseo § 414, 3. Post hunc vastum et incompositum monumentorum acervum congessit Birch in annalium anglicorum qui inscribuntur 'Archaeologia' vol. 36 p. 53 ss. De vasis in quibus Perseus Medusae interfector pictus est solita diligentia O. Jahn egit in Philologi vol. 27 (a. 1868) p. 1 ss. Andromedam liberatam seorsum tractarunt C. F. Hermann 'Perseus und Andromeda' Gottingae a. 1851, Raoul-Rochette operis magnifice ornati quod inscribitur 'Choix de peintures de Pompéi' fasciculo extremo a. 1857 edito p. 301 ss., Fedde dissertatione de Perseo et Andromeda Berolini a. 1860 edita p. 39 ss. Vasa picta ad Andromedam pertinentia denuo collegit A. Trendelenburg Ann. dell' Inst. 1872 p. 108 ss., anaglypha fictilia Heydemann 7. Hall. Winckelmannsprogr. (1882) p. 9 ss. De Danaes simulacris Overbeck egit Kunstmythologie des Zeus 1871 p. 406 ss., cuius collectionem paullo auxit Schwarz dissertatione de fabula Danaeia scripta Halis 1881.

Qui viri docti quamquam optime quaecunque invenire potuerunt monumenta collegerunt, tamen pleraeque collectionum illarum hodie augendae sunt, cum unusquisque annus novas antiquitatis reliquias producat. Praeterea deest omnium monumentorum e quibus quomodo Persei fabulam artifices veteres tractaverint cognoscere possis collectio. Talem operam subii nixus virorum illorum doctorum operibus.

Sed cum maiore volumine opus esset ad omnia monumenta accurate describenda ac tractanda, satis habui, quid in quoque monumento spectandum esset, paucis verbis adumbrare; ceterum ad editiones et descriptiones optimas relegavi. In altera opusculi parte de eorum monumentorum quae maioris momenti viderentur esse temporibus arte artificibus egi.

Disposui monumenta secundum fabulae cursum qualem constituerunt mythographi antiqui; unum mutavi, quod Poly-

dectem punitum anteposui Andromedae liberatae, et quia ii qui Polydectis fabulam tractarunt artifices Andromedam ignorasse videntur, et ut per se starent omnia quae ad Andromedam pertinent monumenta. Intra singulas scaenas monumentorum genera distinxi, ita autem, ut diversi generis monumenta quae ad unum exemplar revocanda essent, componerem.

Notis ad indicandos librorum titulos usus sum his:

A. d. I. = Annali dell' Instituto arch. germ.
B. d. I. = Bulletino " " " "
M. d. I. = Monumenti " " "
A. J. = Jahrbuch des Kais. deutschen archaeologischen Instituts.
A. Z. = Archaeologische Zeitung.
B. a. B. = Friederichs, Berlins antike Bildwerke, Duesseldorf 1868—71.
H (vasculo addita) = Heydemann, die Vasensammlungen des Museo nazionale zu Neapel, Berlin 1872.
H (picturae addita) = Helbig, Wandgemaelde der verschuetteten Staedte Campaniens, Leipzig 1868.
S " " = Sogliano, le pitture murali campane scoperti negli anni 1867—79. Napoli 1879.

Vascula Berolinensia secundum Furtwaengleri, Londinensia secundum Newtonis, Petropolitana secundum Stephanii catalogos citavi.

I.

A. Danae Iovem in aurum conversum excipit.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. Niciae pictoris Danae cf. Plin. 35, 131.

b. Danaes nudae in lecto accubantis imago descripta a Terentio Eun. III 5, 35.

Monumenta servata.

Vasa picta fig. rub.

1. Cratera Caeretana mus. Petropol. n. 1723, ed. Gerhard, Danae, Berlin. Winckelmannsprogr. 1854. Welcker A. D. V. tab. 16, 17. Overbeck, Kunstmythologie d. Zeus, Atlas tab. VI 2, alibi.

Danae (ΔΑΝΑΕ) plene vestita ad d. in lecto sedens imbrem aureum qui fuscis guttis delabitur suspicit.)(Pictura infra s. B 1 describenda.

2. Guttus mus. Luporensis, cf. Overbeck, Kunstmyth. d. Zeus p. 407, 2.

Danae sedens sursum spectat, imbris aurei vestigia non iam agnoscuntur.

3. Lecythus multicolor Cyrenaica mus. Brit. n. C. 38.

Danae pectore nudo ad d. sedens imbrem pallio passo excipit, ante eam Amor ad. d. volat, s. serva perterrita recedit.

Picturae Pompeianae.

4. H. 115, ed. Mus. Borb. II 36. Zahn, d. schoensten Ornamente etc. I 68.

Danae ad d. sedet manu s. vestimentum tollens; imber aureus e nubibus in eius gremium stillat.

5. H. 116, ed. Mus. Borb. XI 21. Mueller-Wieseler D. a. K. II 3, 48 b. Overbeck l. c. Atlas tab. VII 1.

Danae stans nuda, nisi quod vestis fulva ab umero s. pendens tergum et femora tegit, oculos ad s. sursum convertit, unde Amor aurum ex amphora effundit. D. fulminum fascis saxo acclinatus est.

6. S. 75, ed. Overbeck l. c. Atlas tab. VII 2.

D. Danae stat superiore corpore nudo columnae innixa; aurum Amor cornu effundit. S. Juppiter (imberbis?) sedet manu d. sceptrum tenens.

7. cf. Mau B. d. I. 1885 p. 162 s.

D. Danae nuda in veste sedet, quam ambabus manibus tollit ad excipiendum imbrem aureum, qui guttis foliorum forma defluit. S. Juppiter imberbis manibus sceptro innixus sedet[1].

Opus vermiculatum.

8. Pavimenti a. 1869 Panormi inventi lacunar quintum, cf. A. Z. 1869 p. 39.

---

[1] Danaes figura ante oculos versata esse videtur pictoribus imaginum H. 117, 117b, 118. De pictura domus Holconii. 'qua fortasse repraesentatur Danae', cf. Overbeck, Pompei⁴ p. 266, nihil potui invenire.

Danae nuda in lecto accubat, inferior corporis pars deest. Aurum lineae fulvae instar delabitur.

Gemma.

9. Amethystus olim a libero barone de Gleichen possessus ed. Overbeck l. c. Gemmentafel V 4.

Danae nuda, nisi quod crura vestimento velantur, ad d. subsidet manibus sublatis guttas rotundas excipiens[1].

Nummus.

10. N. Argivus Hadriani mus. Brit. ed. Gardner, numism. comm. to Paus. tab. GG XXIII.

Danae in sella ad s. sedet manibus vestimentum pandens; sinus videtur nudus esse.

B. Danae ab Acrisio patre arcae imponitur.

Vasa picta fig. rub.

1. Craterae A 1 pars altera.

In arca Danae ad d. stat Perseum nudum brachio tenens; a. s. faber lignarius super arcam se inclinans terebra[2] ei operam dat. D. Acrisius stat manum d. protendens, s. scipionem tenens[3].

2. Cratera Caeretana mus. Petropol. n. 1357. ed. Welcker, Ann. Mon. Inst. 1856 tab. 8, A. D. V. tab. 17, 2, Overbeck l. c. Atlas tab. VI 4.

Mediam picturam arca tenet, cui a s. operculum affigit iuvenis. S. Acrisius stat manum s. tollens; a d. mulier (Eurydice nimirum) accedit manibus protentis, quam sequitur Danae manum d. tollens, s. Perseum infantem portans, qui et ipse utrumque brachium protendit.

---

[1] De reliquis quae ad Danaen referuntur gemmis cf. Overbeck l. c. p. 409.

[2] Ita appellandum esse illud instrumentum Heydemann docuit A. Z. 1872 p. 37.

[3] Nominis Acrisii quod adscriptum videmus in delineationibus, ne vestigium quidem adesse Stephani confirmat.

C. Danae ad Seriphi oram appulsa.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. Praxiteles sculpsisse dicitur secundum epigrammata Anth. Gr. III 91, 4 (Palat. VI 317) et IV 186, 315 (Planud. IV 262), Danaen nymphas Pana. Possis cogitare de Danae a Nereidibus (cf. Luc. dial. mar. 12) ad Seriphi oram appulsa. Tunc Pan aderat ad terram indicandam.

b. Artemo pinxit 'Danaen mirantibus eam praedonibus' Plin. 35, 139.

Monumenta servata.

Vasa picta fig. rub.

1. Scyphus Nolanus mus. Neapol. n. 3140 H. ed. Mus. Borb. II 30, 4.

Ex arca aperta prominent Danae manu d. ad s. monstrans et Perseus puer manum tollens. D. arbor adumbrata est. Cum Danae et Perseus hic inter se colloquantur nec rationem habeant aliorum hominum, necesse est Danaen servatam, non includendam pictam esse.

2. Vasis fragmentum collectionis Hamiltonianae delineatum neque vero editum a Tischbeinio cf. Heydemann, A. J. I p. 312 n. 82. ed. Dubois-Maisonneuve, introd. XVI 3.

In arca aperta Danae et puer ad s. stant, eis adversus erat homo innixus sceptro, cuius vestigia restant. Hanc quoque picturam, cum desit gestus imprecandi et cum Perseus non iam portetur a Danae, Seriphi quam Argis collocare malim. Vir deinde appellandus est Polydectes sive Dictys.

Picturae Pompeianae.

Quae sequuntur sex picturae inter se sunt simillimae: s. sub rupe pendente Danae sedet Perseum infantem gremio tenens, ab altera parte piscatores stant, quorum numerus variatur; inter hos et Danaen arca conspicitur.

3. S. 76.

Danaes facies dolorem exprimit. Piscatorum primus ante arcam stat habitu rustico, manu d. canistrum tenens, s. rem non iam agnoscendam; alter inter hunc et Danaen stat caput ad

s. convertens. Tertius d. sedet corpore superiore ad s. conversus. Post arcam quartus agnosci videtur.

4. H. 119, ed. R.-Rochette, choix tab. XIV, Guidobaldi, su tre dipinti pomp. Napoli 1861, Overbeck l. c. Atlas tab. VII 3.

Danaes vultus nullum exprimit animi motum; duo tantum adsunt piscatores, alter remum, alter harundinem gerens.

5. H. 120.

Eadem fere pictura.

6. S. 77.

Eadem fere pictura.

7. S. 78.

Danae prioribus similis et arca. Unus tantum adest piscator; alterum a sin. Danaes parte subsidentem conspicere sibi visus est Engelmann, Luetzows Zeitschr. VII p. 253.

8. H. 121.

Danae maesta cum Perseo et arca; piscatores desunt.

D. Perseus Graeas decipit.

Vas pictum fig. rub.

1. Pyxis attica mus. archaeol. Athen. ed. Gaedechens, Perseus bei den Nymphen. Jenae 1879. Boehlau, Mitt. d. ath. Inst. 1886 tab. X.

Pictura operculi ansam circumdat. Tres Graeae, quarum dextera mediae offert oculum; inter utramque subsidens Perseus caligis alatis insignis oculum intercipere conatur. A s. Minerva accurrit, senex Phorcys d. capite demisso sedet, intra hunc et Minervam Mercurius cum Neptuno colloquitur. Locus indicatur tribus piscibus.

Speculum.

2. Sp. Praenestinum ed. M. d. I. IX tab. 56, 2. Gerhard (Koerte-Kluegmann) E. S. V 66.

Perseus (Pherse) cum galea alata et caligis alatis brachio s. cibisin, manu falcem portans a d. prorepit ad Graeam sedentem (Enie); d. manum protendit ad intercipiendam rem, quam illa alteri Graeae (Pemphretu) offert. Perseum sequitur Minerva (Menrfa).

E. Perseus a nymphis instrumenta accipit.

Monumentum quod ex litteris novimus.

In Minervae Chalcioeci templo Spartano Gitiades caelaverat (duas ut videtur) nymphas Perseo galeam et crepidas offerentes. Paus. III 17, 3.

Monumenta servata.

1. Amphora chalcidica fig. nig. mus. Brit. n. 584. ed. Gerhard, A. V. 323, 2. cf. Kirchhoff, Studien z. Gesch. d. griech. Alph. p. 110.

Perseus (ƧYƎƧЯƎΠ) iuvenis ad s. graditur gladio armatus; ei obviam veniunt tres nymphae (NEIDEΣ) prima crepidas alatas, secunda petasum, tertia cibisin ferentes. Perseum sequitur Minerva (<ƎIA>NƎ⊕A) attributis carens.

2. Cratera fig. rub. a pictore barbaro indiligenter picta mus. Brit. n. 1686.

Perseus barbatus cyrbasia hasta clipeo argolico (cuius signum est Gorgoneum) armatus intra duas nymphas stat, quarum altera harpen et crepidas alatas, altera pateram ei offert. Militem igitur valedicentem a pictoribus atticis tam saepe pictum Italus noster in Perseum convertit.

F. Perseus a Minerva harpen accipit.

Vas pictum fig. rub.

Situla Lucana mus. Brit. n. 1513 ed. Inghirami vas. fitt. 366, Gargiulo, raccolta 122.

Minerva harpen offert Perseo in saxo sedenti vestito chlamyde pileo phrygio alato caligis alatis.

G. Perseus alas sibi affigit.

Scarabaeus etruscus recentior.

Ed. Lanzi saggi di ling. etr. II 4, 5. Millin G. M. 95, 386.

H. Perseus Medusae dormienti obrepit.

Vasa picta.

1. Cratera fig. rub. musei archaeol. Matritensis n. **11,000**[1], ed. Museo español de Antiguedades I tab. 22. cf. Huebner, ant. Bildw. v. Madrid n. 391.

In anteriore picturae parte magnum Medusae corpus a sin. ad dex. extenditur ita ut totam picturae latitudinem expleat atque ceterarum figurarum pedes tegat. Corpus superius saxo fulcitur. Medusa alata est magnis alis umeralibus, vestita tunica brevi; facies antiquam praebet formam; oculi clausi sunt, lingua exserta est, angues desunt. S. Mercurius stat barbatus petaso tectus, manu d. latus fulciens, s. caduceum gestans. D. Minerva stat manum d. tollens, s. hastam umero acclinans, praeter hanc nulla re insignis. Inter utrumque Perseus a d. prosilit, genu s. inflexo, d. ut videtur directo, capite reflexo, vestitus tunica pileo alato, brachio s. extento cibisin, manu d. falcem gerens.

2. Pyxis attica alba mus. Lupor. ed. Dumont, mon. publ. pour l'encouragement des ét. gr. 1878 tab. 2 (= D. — Chaplain, cér. de la Gr. pr. pl. suppl. A).

Medusa in rupibus ante arborem iacet capite ad d. converso alis magnis facie barbara. A s. Perseus rupes ascendit petaso alato[2] caligis alatis insignis; media figurae pars deleta est. Caput reflectit versus Mercurium et Minervam qui post eum stant. Tertius sequitur Neptunus tridenti innixus. D. Gorgo sorori similis sedere videtur, quamquam sedes non adumbrata est.

3. Cylix fig. rub. collectionis Northamptonianae cf. A. Z. 1846 p. 342, 9.

Perseus Medusam aggreditur pulchram quae capite averso in saxo quiescit.

---

[1] Huebner vas nostrum vidit in museo bibliothecae. De loco quo nunc asservatur certiorem me fecit O. Cuntz amicissimus, cui etiam delineationem vasis debeo.

[2] Post petasum Dumont vidit lineas fulvas, quibus indicari videtur νυκτὸς ζόφος αἰνός Plutonis galeae.

Speculum etruscum.

4. Ed. Gerhard-Koerte E. Sp. V 67.

D. Medusa (Metus) pulchra in saxo dormit, quam Perseus (Pherse) capite reflexo progrediens falce petit. S. Minerva (Menrfa) sedet.

Scarabaeus etruscus antiquior.

5. Ed. M. d. I. VI 24, 3 cf. A. d. I. 1858 p. 386.

Perseus alis pedalibus et harpe armatus a d. accedit capite reflexo. S. Medusa sedet dormiens capillis incomptis tunica longa.

Nummus.

6. N. Daldianus Gordiani III, ed. Mionnet descr. suppl. VII tab. XI 1, v. Sallet, Zeitschr. f. Num. V p. 105. cf. Head, hist. numm. p. 549.

Infra arborem tres dormiunt virgines; ad primam a d. Perseus nudus accedit, qui quid gesserit non iam agnoscitur. Supra virgines genius alatus (Head: Hypnus) prominet. Quae praeterea sculpta sunt sacellum Apollinis et equus nihil habent commune cum scaena nostra[1].

I. Perseus Medusam caedit.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. A Bathycle Magnete in solio Amyclaeo Περσέως τε τὸ ἔργον πεποίηται τὸ ἐς Μέδουσαν. Paus. III 18, 11.

b. Paus. II 27, 2. In solio Asclepii Epidaurii a Thrasymede sculptus erat Περσεὺς ἀφελὼν τὴν Μεδούσης κεφαλήν.

c. Luc. de domo 25 describit picturam, in qua Perseus Medusam caedit, capite reflexo Minervae scutum protentum aspiciens.

d. Aphthonius Progymn. p. 107 W (48 Sp.) narrat se in arcis Alexandrinae porticu ficta vidisse τὰ Περσέως ἀθλήματα.

Monumenta servata

α) Artis archaicae monumenta.

Perseus plerumque imberbis Medusam currentem manu s. comprehendit, d. cultrum sive gladium collo eius admovet.

[1] Cum hac scaena conferendum est etiam vas K. 23.

Anaglypha.

1. Metopa templi Selinuntii C. ed. Benndorf, Metopen v. Selinunt tab. I alibi.

Medusa moriens Pegasum modo natum brachio sin. tenet. Iuxta Perseum Minerva stat attributis carens.

2. Tripodis aenei emblema, ed. Gori, mus. etr. tab. 145, Levetzow, Gorgonenideal tab. III 34.

Medusa vestita est tunica longa quam artis ionicae propriam esse docuit Furtwaengler apud Roscherum M. L. p. 1710.

Vasa picta fig. nig.

3. Trulla ab Amasi facta mus. Brit. n. 641 ed. Benndorf, Vorlegeblaetter 1889 tab. IV 1.

Adest Mercurius.

4. Amphora mus. Lupor. cf. Catal. Camp. S. IV—VII 125. Six, de Gorgone p. 12.

Persei gladius hic primum est leniter curvatus.

5. Fragmentum paterae Tarquiniis repertum mus. Bonnensis, ed. A. Z. 1881 tab. V 2.

Servata sunt Medusae caput, Persei umerus s. et brachium d. cultrum tenens.

Longius distat a reliquis:

6. Trulla etrusca ex argilla nigra facta anaglyphis ornata (vaso di bucchero) ed. Micali, storia etc. tab. XXII alibi.

Perseus barbatus est; eius manum dirigit Minerva post eum stans; praeterea adsunt miles plene armatus et duae figurae currentes, altera humano, altera felino capite praeditae.

Singulae figurae vasi impressae sunt singulis formis, Minerva et Perseus una forma continebantur.

β) Artis recentioris monumenta.

Quae sequuntur monumenta II 7—II 13 ad unum exemplar redeunt. Medusa pulchra pectore nudo ad genu s. procubuit; Perseus iuvenis chlamyde volante capite reflexo a s. aggressus manu s. illius crines comprehendit, d. harpen collo admovet.

Vasa picta fig. rub.

7. Amphora Panticapaei reperta mus. Petropol. n. 1918, ed. Ant. d. Bosph. Cimm. tab. 63[a], 3.

Ab altera Medusae parte Mercurius accurrit.

8. Vasis colli anaglypho ornati fragmentum Rubeis inventum mus. Bonnensis.

Servata est Medusa magnis alis umeralibus praedita sub qua serpens volvitur et Perseus alis pedalibus instructus praeter femur et crus dextrum. Vestimenta picta sunt atramento fusco, in Medusae corpore serpente Persei pileo coloris albi vestigia restant. Dextrum anaglyphi latus definitur palmula picta; cui si in latere s. alteram palmulam respondisse credimus spatium relinquitur figurae stanti aptum.

Pictura Pompeiana.

9. H. 1182, ed. Mus. Borb. XII 48, Zahn III 23.

Scaena transposita est in regionem apertam. Praeter Perseum Minerva Medusam aggreditur hasta vibrata.

Anaglypha marmorea.

10. An. musei Aquincensis ed. Ziehen, arch.-epigr. Mitt. aus Oesterr. 1890 p. 49 fig. 4.

Post Perseum Minerva stat clipeum prae se tenens.

11. Lapis sculptus ex oppido Waitzen in museum Aquincense transportatus, cf. Ziehen l. c. p. 50.

Sculptura priori similis; Minerva deest. In parte aversa mulier nuda vestem Ledae ritu prae se tenet, supra eam clipei lineae primae agnoscuntur. Num Danae et nubes?

12. An. apud limitem qui vocatur 'Oswaldgraben' inventum, ed. Muchar, Steiermark I tab. VIII 6, cf. Ziehen l. c. p. 51. Medusam a Perseo interfectam sculptam esse conicit Ziehen.

Nummus.

13. N. Caracallae Sebastenus Galatiae, ed. Inghirami mon. etr. VI tab. L 4, 7 Millin Vases ant. tab. 78, 3 (cf. Reinach p. 87), G. M. 105, 386**.

Post Perseum Minerva stat propter spatii angustias nimis parva.

Gemmae.

14. Vitrum inventum in Monte Seleuco, ed. Millin, voyage au midi de la France, atl. tab. 72, 3. G. M. 105, 386***. Vases ant. tab. 78, 1 (cf. Reinach p. 86).

Perseus hic a d. Medusam aggreditur, cuius pectus squamis opertum videtur. Post Persei tergum scutum in aere pendet, quod ille capite reflexo adspicit.

15. Scarabaeus etruscus antiquior prope Cortonam inventus ed. M. d. I. VI 24, 4, cf. A. d. I. 1858 p. 386.

Medusa tunica longa vestita manu s. florem tenens ad genua procubuit. Perseus super eam se inclinans gladium cervici illius admovet; tergo portat cibisin magnam.

Anaglypha fictilia quae vocantur 'di Campana'.

Perseus ad d. gradiens manu d. gladium condit post ingens Medusae caput quod in aere pendere videtur. A d. Minerva Perseo obviam venit clipeum prae se tenens. Apparet totam compositionem ortam esse e Gorgoneo decoraminis loco ficto, cui quasi telamones additi sunt Perseus eique respondens Minerva.

16. An. Cumanum mus. Neapolitani ed. Bull. arch. Napol. n. s. I tab. V 1.

Perseus barbatus est.

17. Fragmentum Puteolis inventum mus. Brit. ed. Brit. Mus. 1810 tab. 13. Millin G. M. 108 bis 386**** alibi.

Servata est Persei figura praeter crura; manu s. tangit Medusae caput, cuius dimidium deest.

18. Fragmentum ed. Gori mus. etr. I 31.

Servata est Minervae pars maior et Gorgonei particula.

19. An. olim a Campana possessum, ed. Campana, opere in plastica tab. 56.

Perseus imberbis manu s. comprehendit Gorgonei recentiore modo ficti cincinnum. Minerva deest neque adfuisse videtur.

Speculum etruscum.

20. Ed. M. d. I. VI 24, 2, Gerhard E. Sp. 332.

Perseus (Pherse) admodum adulescens falce aggreditur Medusam sedentem (Tarsu), cuius corpus videtur virile esse. Ab altera Persei parte Mercurius (Turms) stat.

I^b. Pro Perseo Minerva aggreditur Medusam.

Vas pictum fig. rub.

Stamnus Vulcis inventus, cf. de Witte cat. étr. 87, cat. Beugnot 34.

Minerva hasta petit Medusam antiquo more fictam singulos serpentes manibus tenentem. Ab altera Minervae parte Perseus iuvenis capite averso gladium stringit.

K. Perseus post Medusam interfectam discedit.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. Hes. Scut. Herc. vv. 216—37. Perseus describitur a duabus Gorgonibus agitatus. In eodem orbe portus erat piscibus refertus et piscator, quos cum scaena nostra coniunctos fuisse coniecit Brunn Abh. d. bair. Ak. XI p. 20.

b. Eur. El. 458 ss. describit Achillis scutum, cuius in margine Perseus Medusae caput portans et Mercurius super mare fugiebant.

c. In arca Cypseli Gorgones alatae Perseum volantem persecutae fictae erant. Nomen Perseo soli adscriptum erat (cf. infra K 6) Paus. V 18, 5.

d. Pythagoras Rheginus fecit Persei statuam, quae 'alas habebat' Dio Chrys. or. 37, 10 (p. 106 R).

e. Myro 'fecit et Perseum'[1] Plin. 34, 57. Eandem statuam Pausanias vidit in arce Athenarum: Μύρωνος Περσέα τὸ ἐς Μέδουσαν ἔργον εἰργασμένον (I 23, 7).

---

[1] Quae sequuntur verba 'et pristas' cum Perseo coniungere frustra conati sunt viri docti. Obstat imprimis Pausaniae testimonium; duo enim Persei Myronei statuendi essent, si e. g. pristas esse monstra marina crederemus. Prae ceteris infeliciter nuper M. Mayer coniecit (Athen. Mitt. XVI p. 246) verbis 'Perseum et pristas' significari Danaen et Perseum coram Acrisio et fabris lignariis arca includendos, quos vidimus in vasis pictis B 1, 2. Quis tandem talem scaenam vocaret Perseum et pristas? Neque enim Perseus nec faber lignarius primas partes agit in illis picturis, sed Danae et Acrisius. Cf. Collignon Hist. de la sculpture grecque p. 465, 477.

Monumenta servata.

Vasa picta fig. nig.

Plena compositio sex personis constat: Medusa capite privata Perseo fugiente duabus Gorgonibus persequentibus Minerva Mercurio.

1. Lanx attica Aeginae reperta mus. Berol. n. 1682, ed. A. Z. 1882 tab. 9.

Medusa et Gorgones perditae sunt, Mercurii nihil nisi crus sin. restat. Adsunt Minerva attributis carens quiete stans et Perseus currens. Nomina adscripta sunt A⊗ENAIA et ꙅYƎꟼƎΠ.

2. Amphora attica Athenis nuper reperta ed. Ant. Denkm. tab. 57, cf. p. 46.

Duae Gorgones more antiquissimo factae binis alis reduncis alatae ad d. currunt. S. Medusa alis complicatis ad genu s. procubuit, e collo sanguis profluit. Infra personas descriptas delphinorum series ad s. natat, quibus mare indicari videtur.

3. Cratera (δεῖνος) mus. Lupor. cf. Cat. Camp. s. II 25. Dumont-Chaplain cér. de la Gr. pr. I p. 337 adn. 3. Praesto est photographema apparatus archaeologici Bonnensis.

Omnes personae adsunt, Medusa capite privata genua inclinat, e collo sanguinis rivoli prosiliunt. Minerva caret attributis.

4. Patera Rhodia mus. Brit., ed. Journal of hell. st. 1884 tab. 43.

Medusa ad genu procubuit; ex eius collo caput equinum emergit. Mercurius et Minerva et ipsi currunt; Minerva armata est aegide magna clipeo hasta.

5. Patera attica Nolae reperta mus. Berol. n. 1753, ed. Gerhard Trinkschalen II, III. Levezow Gorgonenideal tab. II 24.

Pictura priori similis, sed minus diligenter facta. Minerva deest. Medusa manibus protentis prona procubuit, e collo sanguis profluit, supra quem caput equinum emergit.

6. Tripus atticus[1] Tanagrae repertus mus. Berol. n. 1727 ed. A. Z. 1881 tab. 3. Genick-Furtwaengler Keramik tab. 24.

Singuli pedes dividuntur in binas partes, quarum superiores

---

[1] Num atticus sit Duemmler dubitat Roem. Mitt. II p. 181 adn. qui eum Tanagrae potius factum esse putat.

continent: a) Medusam cuius e collo sanguinis rivoli surgunt et Gorgonem ad d. currentem, b) alteram Gorgonem, c) Perseum (ϟVƎϟЯƎᒣ) fugientem.

7. Hydria attica Caere reperta principis Ruspoli cf. A. Z. 1881 p. 29 adn. 2.

Praeter Medusam omnes figurae adsunt. Infra Perseum nec cibisi nec gladio insignem magnus serpens volvitur. Minerva caret attributis.

8. Patera musei Gregoriani, ed. Mus. Greg. II 92, 4, 5.

In parte altera homo nudus (Mercurius?) Perseus Gorgo ad d. currunt, in altera Gorgo inter duos Satyros et ipsa ad dextram currit.

9. Guttus in nomismatotheca (cabinet des médailles) Parisina asservatus, ed. Braun A. d. I. 1851 tab. P, Milliet-Giraudon, vases peints du c. d. m. IV, VIII c.

Omnes adsunt personae, ex Persei cibisi sanguis manat. Mercurius et Minerva non insignita stant quieti.

10. Hydria Caeretana mus. Vindobonensis n. 221 (Masner), ed. A. d. I. 1866 tab. R.

Perseus per aera fugiens, Minerva quieta, Gorgo currens manibus ingentem serpentem portans. Quarta adest mulier palliata coronam tenens. Pictura clauditur singulis sphingibus. Adscriptae sunt litterae multae non omni sensu carentes; apparet pictorem eos descripsisse neque vero intellexisse. Agnoscuntur nomen Perseo adscriptum ϟVƎᑫƎᒣ (cf. K 1) et ante sphingem dextram verba μ' ἐπόησεν. Serpenti a Gorgone portatae M. Mayer (Verh. d. Philol. Vers. z. Goerlitz 1889 p. 347) et Masner adscriptum esse putant ϘETOϟ, quod quamquam litteris fortasse admittitur, propter rem parum est probabile.

11. Amphora Caeretana mus. Lupor. ed. M. d. I. VIII 34, 2 cf. Dumont-Chaplain l. c. I p. 333 II p. 116 adn. 1.

Perseus ipse deest; adsunt Mercurius (HEPMIϟ) duae Gorgones Medusa procumbens manibus innixa. Inter alas caput prominet haud dubie ab homine recenti additum cf. Dumont l. c.

12. Amphora mus. Monac. 619, ed. Gerhard A. V. 88, Trinkschalen u. Gef. II 8.

Omnes adsunt personae; Mercurius et Minerva inter se colloquuntur; Perseus per aera eos praetercurrit.

13. Amphora Vulcis inventa mus. Brit. n. 548, cf. de Witte cat. Dur. 243.

Pictura videtur similis esse priori: quae a Wittio Perseo datur 'harpe', haud dubie est gladius vulgaris. Infra Perseum adumbrati sunt montes, Medusa deest.

14. Amphora mus. Monac. n. 1187, ed. Micali storia tab. 88, 5, 6, Gerhard A. V. 216.

Medusa ad d. concidit, Perseus d. manu falcem, brachio s. cibisin gerens ad d. fugit. A s. Minerva accurrit, aegidem manu s. protendens d. hastam gerens. Post personas descriptas arbor est fructibus rotundis onusta[1].

Vasa picta fig. rub.

15. Amphora mus. Monac. n. 54, ed. Micali mon. ined. 44, 3.

Perseus cum cibisi pileo caligis alatis manu d. cultrum curvatum gerens ad d. currit. In altera vasis parte Gorgo antiquo more ficta et ipsa ad d. currit.

16. Amphora quae vocatur 'a colonnette' cf. cat. Camp. s. XI K 11.

Mercurius et Perseus ad s. currunt, inter utrumque Minerva stat.

17. Amphora mus. Berol. n. 2344, ed. Panofka verl. Mythen tab. 2.

Perseus iuvenis ad s. currit brachio s. cibisin e qua Medusae crines prominent, manu s. falcem serratam portans. S. iuvenis palliatus stat.

18. Hydria Nolana ed. Panofka mus. Blacas tab. 11.

In altera parte Medusa capite privata manibus passis concidit, in altera Perseus (ΓΕΡΣΕΣ ΚΑΛΟΣ) cum falce et cibisi fugit.

19. Hydria Vulcis inventa mus. Berol. n. 2377, ed. A. d. I. 1851 tab. O.

Perseus manu d. cultrum magnum curvatum, lacerto s. ci-

---

[1] Num Perseus repraesentatus sit in hydria cat. Camp. s. II 28 descripta hunc in modum: 'una Gorgone alata insegue a grande corsa un giovanetto con lungo e sparso crine, che fuggendo a veloci passi rivolge la testa indietro' discerni nequit vase non inspecto.

bisin, manu s. Medusae caput, cuius rictus magnus est oculi clausi sunt, portans discedit a Minerva.

20. Scyphus Nolanus mus. Luporensis, ed. Jahn Philol. 27 tab. I 1.

Mercurius et Perseus falce et cibisi insignis ad s. currunt; inter utrumque Neptunus stat)(Pictura N 5.

21. Vasculum Nolanum figuris impressis ornatum mus. Brit., ed. Mon. Bull. Ann. 1855 tab. 2.

Iuxta columnam sphinge coronatam Medusa alata capite privata concidit; d. Chrysaor nudus humi sedet; supra Medusam Pegasus volat. Ad s. duae Gorgones pulchrae dextris manibus singulos serpentes tenentes currunt. Ante eas Perseus et ipse ad s. fugit cum falce et cibisi; ante hunc Mercurius currit. S. Minerva stat.

22. Amphora Plistiae reperta mus. Neapol. n. 1767 H., ed. Mus. Borb. XIII 59.

Medusa capite privata cuius e collo Pegasi alati caput prominet in saxo sedet inter duas Gorgones currentes, quae manibus singulos serpentes portant. Perseus fugit cum harpe et Medusae capite. S. Satyrus barbatus.

23. Amphora Capuana mus. Berol. n. 3022, ed. M. d. I. VIII tab. 34, 1.

Sub arbore fructibus fulvis onusta tres Gorgones pulchrae dormiunt. S. Medusa capite privata sedet, cui a s. appropinquat Perseus d. falcem s. caput recisum portans.

Quod quattuor hic adsunt Gorgones quodque Perseus non discedit a Medusa sed ad eam accedit, non potest explicari nisi duabus scaenis a pictore italico confusis, quarum altera Perseus Medusae dormienti obrepens (cf. H 6) altera post caedem discedens pictus erat.

24. Amphora etrusca mus. Monac. n. 910, ed. Gerhard A. V. 89, 3, 4.

E Medusae collo Pegasus alatus et Chrysaor nudus una prodeunt; Gorgo tunica longa vestita manibus serpentes tenens ad s. currit. In altera vasis parte Perseus cum cibisi, e qua Medusae caput prominet, falce caduceo ad s. graditur, sequitur mulier ab homine recenti restituta.

25. Cratera Nolana neglegenter picta, ed. Gerhard A. V. 89, 1, 2.

Perseus iuvenis cum harpe et cibisi appropinquat mulieri tunica longa vestitae, cuius e collo caput cervi[1] prominet. Ad d. conversa femina stat alata tunica longa vestita coronam et vittam portans (Victoria)[2].

Specula etrusca.

26. Ed. Gerhard E. Sp. 121.

Perseus iuvenis pileo alato, tunica longa vestitus magnis alis umeralibus praeditus ad d. currit, manu s. cibisin, d. falcem portans, caput reflectens.

27. Rollini et Feuardentis Parisinorum, ed. Gerhard E. Sp. V 68.

Perseus (Pherse) ad d. fugit cum falce hastis cibisi, e qua prominent crines. Eum persequitur deus marinus (Purcius) tridentem vibrans, cui obviam graditur Minerva (Menrfa) aegide protenta Perseum defendens. D. mulier alata (Meanpe) stat, cuius inter pedes piscis natat. Purcium esse Phorcyn Medusae patrem Koerte agnovit.

Anaglypha.

28. Sarcophagi Cyprii latus breve alterum, ed. Cesnola coll. of cypr. ant. tab. 74 n. 478.

S. Medusa vestita tunica longa, alata quattuor alis, capite privata concidit; ex eius collo ad s. Chrysaor, ad d. Pegasus surgunt; mater altera manu Chrysaoris brachium d. altera Pegasi pedem priorem s. comprehendit. Ad d. Perseus discedit barbatus, manu d. falcem gerens, s. cibisin e baculo pendentem portans. Inter Medusam et Perseum canis sedet ad d. conversus.

29. Heroi Trysaei muri orientalis an., ed. Benndorf das Heroon von Gjoelbaschi-Trysa tab. XIX 9, cf. p. 175.

Homo nudus chlamyde volante brachio d. protento magnis gradibus ad s. currit; manu s. retenta caput humanum portat. Ante eum est res quaedam coni forma quam praetercurrit. Post conum illum canis prominet.

---

1 Caput equinum, cornua autem quae videntur sanguinem prosilientem esse coniecit Hermann Perseus u. Andromeda p. 5.

2 Scyphum a Stackelbergio, Gr. d. H. 39 editum, in quo Perseus a Medusa caesa discedens compositus est cum Chimaera et Hydra, falsatoris opus esse Stephani docuit, Compte-Rendu 1881 p. 36.

30. An. fictile Meli repertum mus. Brit. ed. Millingen Anc. uned. mon. II 3, Mueller-Wieseler D. a. K. 14, 51.

Perseus iuvenis capite reflexo ad d. equo vehitur, s. gladium acumine curvato, d. Medusae caput portans. Sub equo Medusa tunica longa vestita ad genu s. procubuit; ex eius collo Chrysaor nudus prominet.

31. Tripus aeneus mus. Berol. cf. B. a. B. II 767.

Tres pedes superantur singulis figuris, quarum prima est Gorgo, reliquae duae viri currentes sunt nulla re insignes. In exemplari graeco hi viri haud dubie fuerunt Perseus et Mercurius[1]).

32. Strigilis attica musei Berolinensis, B. a. B. II 202, ed Heydemann Marmorbildw. zu Athen p. 107.

Strigili eadem forma bis impressum est signum ovale: Perseus nudus crure s. sublato ad d. saliens. In margine litterae Γορ exstant.

33. Anaglyphi marmorei pars sinistra, ed. Mon. Matthaeian. III 28, 1, Braun XII Basreliefs, ad tab. X, Raoul-Rochette choix p. 301.

Perseus cum Medusae capite et gladio ad d. currit caput reflectens ad Minervam, quae sequitur clipeum prae se tenens Dextra anaglyphi pars infra (R 11) describetur.

Gemmae.

34. Scarabaeus etruscus mus. Berol. II 47.

Perseus nudus (Pherse) alis pedalibus instructus cum Medusae capite pulchro ad d. currit.

Haud dubie hic est scarabaeus, quem Lanzi saggi II 4, 5 et Millin G. M. 105, 386 ediderunt. Quod apud illos alae pedales desunt, pictoris neglegentiae tribuendum erit.

35. Sardonyx mus. Petropolitani, ed. Stephani Apollon Boedromios tab. IV 7, 8.

Perseus pedibus alatis per aera volat d. harpen, s. Medusae caput alatum protendens. In altera parte legitur: φύ(γε) ποδάγρα, Περσεύς σε διώχι.

---

[1] Similem figuram hominis nudi eiusque crepidis alatis praediti ad dextram currentis edd. Micali mon. ined. 19, 4 et Schoene museo Bochi di Adria 18, 1.

Picturae parietalis fragmentum.

36. Cf. Bull. communale di Roma 1880 p. 284, 4.

Perseus libratus per aera volat d. harpen, s. rem quandam, quae num Gorgoneum fuerit non iam agnoscitur, portans[1].

Nummus.

37. Seriphiorum mus. Brit. Seriphos 10, ed. Caldavène tab. IV 27, Catal. of. gr. coins, Crete a. Aegean Isl. tab. XXVII 7.

Medusae caput et harpe)(Perseus ad s. currit s. harpen, d. rem non agnoscendam gerens.

L. Perseus Minervae tradit Medusae caput.

Vas pictum fig. rub.

Cratera Plistiae reperta mus. Neapol. n. 2202 H., ed. Dubois-Maisonneuve introd. 45, Mus. Borb. V 51.

Coram Iove Iunone Dioscuris Nympha Satyro Perseus Minervae tradit Medusae caput parvum albo colore pictum. Ad Minervam Victoria advolat, altera Victoria Iovem coronatura est. Post Perseum serpens se arrigit. Vasis partes haud parvae ab homine recenti restitutae esse videntur; inprimis serpens ille gravem suspicionem movet.

M. Minerva Perseo Medusae caput aqua reflexum monstrat.

Vasa picta fig. rub[2].

1. Patera Rubeis inventa mus. Neapol. n. 2562 H., ed. Minervini mem. acad. tab. I.

Perseus (ΠΕRΣΕΥΣ) in loco edito sedens ad puteum despicit, supra quem Minerva Medusae caput pulchrum tollit. A s. Victoria accurrit; d. Satyrus primis pedibus se erigit.

2. Cratera Rubeis inventa mus. acad. Lips., ed. Saechs. Ber. 1847 p. 287.

[1] Haec Persei figura decoraminis causa picta videtur excerpta esse ex Andromedae liberandae imagine cf. R 12, 13.

[2] De his vasis cf. imprimis O. Jahn Saechs. Ber. 1847 p. 287 ss.

D. Minerva iuxta puteum quadratum stans caput senile tollit. S. Perseus pede s. putei margini insistit. Post eum Mercurius stat, d. Satyrus caput avertit.

Persei figuram fictam esse ad exemplar iuvenis situlam e puteo trahentis, qui occurrit in patera attica artis severae ed. Saechs. Ber. 1878 tab. 5, Benndorf docuit, das Heroon v. Gjoelbaschi, p. 114, cf. p. 112 figg. 115, 116.

3. Cratera Rubeis inventa, ed. A. d. I. 1850 tab. A.

D. Minerva sedens tollit Medusae caput pulchrum, quod fonte lapidum circulo adumbrato reflectitur. S. Perseus pedem s. in saxo collocans in fontem despicit.

4. Cratera in Basilicata inventa, ed. A. d. I. 1851 tab. N.

D. Minerva stans Medusae caput formae antiquioris tollit. S. Perseus sedens pedes in lapidum circulo (fonte male intellecto a pictore) collocat. Post eum virgo speculum tenens pede s. (ut in priore pictura Perseus) saxo insistit.

Specula etrusca.

5. Mus. Berolinensis, B. a. B. II 140, ed. Gerhard E. Sp. 122.

Minerva (Menrfa) et Perseus (Pherse) Medusae caput fonte quadrato reflexum contemplantur. Post Perseum mulier, post Minervam Apollo (Aplu) stant.

6. Galleriae Florentinae, ed. Gerhard E. Sp. 123 alibi.

Minerva (Menrfa) et Perseus (Pherse). Medusae caput quamquam Minervae manui deest, aqua reflectitur.

7. Ed. Gerhard E. Sp. 124 Minerva (Menrfa) et Perseus (Charmmi) neglegentissime picti; Medusae caput vix agnoscitur.

8. Castellanii, ed. Gerhard-Koerte E. Sp. V 69.

Medusae caput in aqua non conspicitur. Post Perseum mulier sedet, post Minervam iuvenis pileo phrygio tectus.

N. Perseus ad Polydectem fert Medusae caput.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. In pinacotheca arcis Athenarum καὶ Περσεύς ἐστιν ἐς Σέριφον κομιζόμενος Πολυδέκτῃ φέρων τὴν κεφαλὴν τὴν Μεδούσης. Paus. I 22, 7.

b. In templi Apollonidis Cyziceni columna XI sculptus erat

Polydectes a Perseo in lapidem conversus Gorgonis capite. Anth. Pal. III 11.

Monumenta servata.

Vasa picta fig. nig.

1. Amphora eius generis quod 'affektiert tyrrhenisch' olim vocabant viri docti[1], ed. Mus. Greg. II 31. 2.

Ab homine in sella sedente ad d. discedit vir barbatus lacerto d. cibisin, manu s. caduceum gerens. Ab altera parte viro sedenti appropinquat vir alatus quattuor alis. Praeterea adsunt duo viri tunicis longis vestiti. Similis est alterius partis pictura.

2. Fragmentum in arce Athenarum repertum, ed. Ἐφημ. ἀρχ. 1885 tab. 5. cf. A. J. VII p. 37 ss.[2].

Perseus chlamyde crepidis alatis vestitus in arae gradu stat ad d. conversus, manu s. prae se tenens magnam cibisin, e qua prominet Medusae caput rubrum. Persei caput deest. Adscriptum est: ΡΟΛΟϟ ΚΕΦΑVΕ = ⟨Γο⟩ρ[ο]γοῦς κεφαλή. A s. vir barbatus ad d. conversus sedet sceptro innixus capite reflexo; post eum alter sedebat homo, cuius genu s. restat; tertii, qui stabat, manus s. relicta est. D. homo sedebat, cuius cubitus s. agnoscitur.

Vasa picta fig. rub.

3. Cratera magna mus. Biscariani, ed. D'Hancarville IV 128, Millin peint. de vases II 3, 4 (cf. Reinach p. 45) G. M. 95, 347, Inghirami vas. fitt. 70, 71.

Perseus manu s. Medusae caput tollens d. demissa falcem tenens caput ad s. convertens colloquitur cum Minerva. Post hanc in re quadam saxis rudibus constante quae paene arae formam praebet mulier sedet diademate ornata. Si sedem illam appellare aram licet, certe Danae picta est, quae ut Polydectis libidinem vitet ad aram confugit. Ab altera Persei parte Polydectes in sella sedens perterritus Gorgoneum adspicit; post eum iuvenis baculo innititur. In altera vasis parte duae Gorgones ad s. currunt, quarum priori mulier, alteri Neptunus obviam veniunt.

---

[1] Duemmler, roem. Mitt. II p. 184 eam appellat atticam causis non allatis.

[2] P. Kretschmer l. c. recte explicavit scaenam pictam, cum Tsuntas agnovisset Perseum ad Cepheum pervenientem.

4. Cratera Bononiensis, ed. Luckenbach A. d. I. 1881 tabb. F, G.

Perseus manu s. Medusae caput, d. duas hastas tenet. D. Polydectes capite calvo insignis, usque ad ventrem cum lapide in quo sedet concrevit. S. Minerva pede s. saxo innixa mentum manu s. fulciens attente Perseum adspicit.)(Iuvenis palliatus tropaeum contemplatur.

5. Scyphi Nolani K 19 orbis superioris pars altera.

Perseus inter duos viros sedentes stat, quorum alteri (Polydecti) Medusae caput ostendit, alterum (Dictyn) falce innuens hortari videtur, ut oculos avertat.

6. Amphora Nolana, ed. Philol. 27 tab. III.

Perseus Gorgoneum pulchrum a collo tollens monstrat Polydecti, cuius crura iam in saxum conversa sunt.

O. Perseus contra Bacchi thiasum pugnat.

Vasa nigris figuris ornata.

In his Perseus gladio stricto in duas Maenades irruit.

1. Amphora loci incerti ed. de Witte Gaz. Arch. I tab. 29. cf. Kretschmer A. J. VII p. 32 ss.

Perseus barbatus subligaculo caligis uncatis petaso vestitus gladio stricto persequitur virginem ad d. fugientem tunica longa pallioque vestitam; ad s. altera virgo priori similis fugit. E Persei lacerto s. cibisis magna pendet, post eum arbor picta est. Adscriptae sunt litterae sensu carentes.

Maenades primus agnovit P. Kretschmer l. c.

2. Amphora mus. acad. Wuerzburgensis (Urlichs Verzeichn. d. Wuerzburger Antikensammlung 1872 n. 121) olim collectionis Feolianae[1].

Olim putavi hoc vas idem esse atque id quod praecedit, donec Loeschckio intercedente Sittl v. cl. liberaliter transmisit picturam Wuerzburgensem charta tralucida descriptam. Figurae vasis Wuerzburgensis sunt paullo aliter motae; accuratius picta est cibisis; litterae desunt.

---

[1] Campanari, vasi dipinti della collezione Feoli n. 95 erravit cum figuras esse rubras contendit.

Vasa picta fig. rub.

Perseus Medusae capite satyros terret.

3. Cratera in Basilicata reperta, ed. Millingen peint. de vases 3, Inghirami mon. etr. V 43. Jahn Philol. 27 tab. I 3.

Perseus spectanti adversus manu d. sublata tenet Gorgoneum pulchrum, s. demissa harpen. Quod ab eius cervice pendet pileum alatum ab homine nostrate restitutum est. S. Satyrus ad genu procubuit. A d. alter decurrit et ipse concidens.

4. Cratera musei Bonnensis nuper Fontanae, ed. Curtius Herakles der Satyr, Berlin 1852. Jahn l. c. tab. I 3. cf. Arch.-ep. Mitt. a. Oe. 1878 p. 132 n. 100.

Perseus priori similis, Medusae caput anguibus cinctum est. A s. Satyrus accurrens oculos manu tegit, ex eius manu taenia humum cadit. Inter hunc et Perseum arbor est. A d. noctua advolat coronam portans.

5. Cratera Barii reperta mus. Petropol. n. 1609.

Perseus et Satyrus prioribus ut videtur similes; ab altera Persei parte Minerva stat.

P. Cetera monumenta, quibus Perseus Medusae interfector repraesentatus est.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. In Aegypti oppido Chemmide Persei templum cum herois simulacro erat cf. Herod. II 91.

b. Parrhasius pinxit ‘in una tabula quae est Rhodi Meleagrum Herculem Persea’. Plin. 35, 69.

Vas pictum fig. rub.

1. Cratera apulica, ed. Millingen vases Coghill tab. 28, 1.

Perseus d. falcem, s. hastam umeris acclinans ad Minervam accurrit.

Specula etrusca.

2. Mus. Berol., B. a. B. II 141, ed. Gerhard E. Sp. V 71.

Perseus in saxo sedet s. falcem tenens; d. Mercurius, s. iuvenis hastae innixus stant.

3. Mus. archaeol. Florentini, ed. Gerhard E. Sp. V 70.

Perseus d. Medusae caput tollens inter duas Lasas.

Picturae Pompeianae fragmentum.

4. H. 1181.

Iuvenis pileo phrygio chlamyde vestitus s. harpen tollens.

Statuarum fragmenta.

5 et 6. Capita marmorea ad idem exemplar facta, alterum mus. Brit., ed. Murray J. of h. St. 1881 tab. IX, alterum Romanum, ed. Klein Bull. communale di Roma 1890 tab. XIII.

Capita iuvenilia alata sunt paullo ad s. conversa artis saeculi quinti. Exemplar Londinense tectum est galero quodam e squamis conserto; in occipite foramen est (item in exemplari Romano), cui insertum fuisse vulturis caput (cf. nummos P 22, 28, 38) Murray coniecit. Sed videtur illud foramen nimis parvum esse, videtur potius factum esse ad excipiendum acumen, quale habet Persei galea in statere Cyziceno P 29. Alterum foramen in parte s. est ad excipiendam alam s., quae nunc deest.

Gemma ectypa.

7. Sardonyx mus. Berol. cf. Furtwaengler A. J. III p. 249, 4 f.

Perseus in rupe sedens d. tollit Medusae caput eiusque imaginem aqua reflexum contemplatur. cf. M, S.

Gemmae incisae.

8. Vitrum tricolor mus. Berol. IV 216 T.

Perseus d. harpen, s. Medusae caput tenet.

9. Smaragdus mus. Berol. IV 217 T.

Perseus d. tollit Medusae caput, s. harpen tenet.

9a. Plasma mus. Brit. cf. Cat. of Gems in the Brit. Mus. 1259.

Perseus ad d. conversus s. tollit Medusae caput, d. harpen tenet; ante pedes illius scutum iacet.

9b. Plasma mus. Brit. cf. l. c. 1260.

Perseus ad d. conversus s. Medusae caput post tergum abscondit, d. gladium tenet.

9c. Plasma mus. Brit. cf. l. c. 1261.

Perseus spectanti adversus s. Medusae caput, d. harpen tenet; inscriptum est ΑΤΤΑΛΙΑΝΟΥ.

10. Vitrum fuscum mus. Berol. IV 218 T.

Perseus priori similis iuxta Minervae statuam columnae impositam stat; humi scutum iacet.

11. Vitrum fulvum mus. Berol. IV 219 T. Eaedem figurae.

12. Carneolus, ed. Reale Galleria di Firenze V 15, 3 [1]. Perseus iuxta Minervae statuam basi impositam stans dextra tollit Medusae caput, quod clipeo ad pedes iacente reflectitur.

13. Vitrum fuscum mus. Berol. IV 220 T.

Perseus cum Medusae capite et harpe iuxta columnam stat, cui imposita est pila.

14. Chalcedon mus. Brit. cf. A. J. II p. 198.

Persei caput cum pileo alato et harpe.

14a. Plasma mus. Brit. cf. l. c. 1257.

Persei caput ad. d. conversum cum galea alata.

15. Ed. King ant. gems and rings tab. II 47, 5. Caput Persei regis (vel Philippi V?) ad s. conversum cum Persei herois attributis (galea alata vulturis capite ornata et harpe) [2].

Nummi.

α) N. Argivi.

16. cf. Catalogue of greek coins. Peloponnesus; Argos. Gardner num. comm. to Paus. p. 84.

a) Lucii Veri C. g. c. 161 tab. 28, 19, Gardner tab. I 18.

b) Hadriani, ed. Gardner tab. I 17.

c) Sept. Severi C. g. c. 167.

d) Valeriani C. g. c. 176.

In parte reversa Perseus spectanti adversus manu d. tenet Medusae caput, unde avertit caput, s. harpen et chlamydem.

17. Septimii Severi, ed. Imhoof-Blumer choix tab. II 67 Gardner l. c. tab. I 20.

Perseus d. harpen et chlamydem portat, s. Medusae caput supra clipeum in ara stantem tollit. Ab altera arae parte Minerva stat.

18. Septimii Severi coll. Imhoofianae, ed. Gardner l. c. tab. I 19.

Perseus priori similis; Minerva deest.

19. Septimii Severi mus. Berol., ed. Gardner l. c. tab. FF 22.

Perseus barbatus (?) d. harpen, s. Medusae caput tenet.

---

1 Alter Perseus ibidem tab. 17, 1 editus num antiquus sit dubito.

2 Hoc exemplar suspectum videtur viris doctis A. H. Smith A. S. Murray cf. Cat. of Gems in the Brit. Mus. 1527.

20. Antonini Pii mus. Venetiani, ed. Gardner l. c. tab. I 21.
Persei caput alatum et harpe.

β) Asines.

21. Iuliae Domnae, ed. Gardner l. c. tab. GG 23.
Perseus caligis alatis insignis d. harpen, s. Medusae caput tenet.

γ) Seriphi[1].

Cf. C. g. c. Crete and Aegean Islands; Seriphos.

22. Anni a. Chr. n. circ. 300, ed. C. g. c. tab. 27, 2.
Persei caput ad d. conversum tectum galea alata vulturis capite ornata)(harpe.

23. Aevi serioris: ed. C. g. c. tab. 27, 3.
Persei caput ad d. conversum alatum)(Perseus ad d. conversus galea alata tectus harpen et Medusae caput portans.

24—26. Aevi serioris: ed. C. g. c. tab. 27, 4—6.
Persei caput ad d. conversum)(aut Medusae caput aut harpe aut utrumque.

δ) Gyari.

27. Cf. Head historia nummorum p. 414.
Perseus cum harpe et patera (?))(caput femininum corona murali tectum.

ε) Astypaleaae.

28. Cf. Borrell Numism. Chron. s. III, vol. IX p. 163, 23.
Caput Persei ad d. conversum galea alata tectum)(harpe.

ζ) Cyzici.

29. a) Stater saeculi V partis prioris, ed. Numism. Chron. s. III, vol. VII tab. III 24 (ex. Londinense) 25 (ex. Parisinum).
Persei caput iuvenile tectum galea acumine praedita alata magnis alis reduncis.

b) Hecta eiusdem signi mus. Berol.

30. a) Stater anni fere 400 mus. Paris. M. d. I. III 35, 22, Numism. Chron. VII tab. 26.

Perseus chlamyde vestitus tectus galea alata ad genu d. se demisit capite reflexo; s. Medusae caput pulchrum tenet.

---

[1] Cf. K. 35.

Persei galea praebere videtur formam ἀλωπεκῆς thraciae, ab Atheniensibus quoque portatae (Michaelis Parthenon tab. 9, 8. 15. 19, 10, 3. 4. 36. cf. Furtwaengler Berl. Winckelmannsprogr. 1890 p. 160).

Infra Perseum thynnus est.

b) Hecta eiusdem signi collectionis Imhoofianae[1].

η) Iconii.

Cf. Waddington Rev. numism. 1883 p. 47, 9, 10; 49, 22.

31. Persei pectus et caput galea alata tectum; umero acclinata est harpe.

32. a) Iconii, b) Coloniae Iconii.

Perseus stans cum harpe et Medusae capite.

θ) N. Pontici.

Cf. C. g. c. Pontus etc. Imhoof-Blumer Abh. d. Muench. Ak. 1888 p. 562.

33. a) Amisi C. g. c. 30—36 (n. 32 tab. III 3).
b) Cabirae „ 1.
c) Comanae „ 1.
d) Amastris „ 7, 8 tab. XIX 8.
e) Sinopes „ 42—44.

Perseus spectanti adversus pileo phrygio tectus d. harpen, s. Medusae caput tenet. Post eius pedes Medusae corpus iacet.

34. a) Amasiae C. g. c. 2 tab. I 13.
b) Amisi „ 65—67 tab. III 13.
c) Sinopes „ 45, 46.

Caput Persei alatum ad d. conversum.

35. a) Amisi C. g. c. 60—64 tab. III 12, Imhoof-B. l. c. tab. III 4.
b) Chabactae Imhoof-B. tab. IV 12.

Persei (vel Mithridatis?) caput ad d. conversum tectum galea vulturis capite ornata)(Pegasus potans.

36. Amisi C. g. c. 68 tab. IV I.

Idem signum)(harpe alata.

37. Mithridatis Eupatoris C. g. c. 13, 14.

Persei caput alatum ad s. conversum.

---

[1] Insigni Imhoofii liberalitate accepi huius nummi ectypon.

ι) N. Macedonici.

38. Philippi V regis, ed. Gardner types of gr. coins XII 45, Head hist. num. fig. 148.

Philippi caput in clipeo macedonico ad s. conversum cum galea alata vulturis capite ornata; harpe.

39. Persei regis, cf. Head l. c. p. 206.

Persei herois caput[1].

Q. Andromeda Ceto exposita. Persei cum Ceto pugna.

Monumenta quae ex litteris novimus.

a. Pictura ab Antiphilo laudata Anth. Gr. 157, 13 (Plan. IV 147). Aderant Perseus alis pedalibus et Gorgoneo insignis, Andromeda saxo adfixa, Cetus, Cassiepia.

b. Luc. de domo 22 describit picturam, in qua Andromeda ex rupe contemplatur Perseum contra Cetum harpe et Gorgoneo simul pugnantem.

c. Achilles Tat. Erot. III 6, 7 contendit se in Iovis Casii templo Pelusino vidisse duas picturas, quarum altera Prometheum ab Hercule servatum[2], altera Andromedam et Perseum ex aere cum Ceto pugnantem contineret.

d. Heliodorus Aethiop. X 6 in insula Meroe positas fuisse Persei et Andromedae statuas dicit.

Monumenta servata.

Vas pictum fig. nig.

1. Amphora Corinthiaca Caere reperta mus. Berol. n. 1652, ed. M. d. I. X 52.

---

[1] In aliis nummis Macedonicis velut C. g. c. 72—74, 79, 80, Amphipolis 23, Pellae 3, 4, Thessalonices 2 (cf. Mus. Berol. Pella, Amphipolis) malim cum Poolio et Salletio agnoscere Romam quam Perseum.

[2] Garucci A. d. I. 1860 p. 110 premit cistam Praenestinam Q 10 et cistam quae Promethei fabulam exhibet (M. d. I. VI 39) una inventas. Neque vero solum ubi inventa sit utraque cista ignoramus (cf. Schoene A. d. I. 1866 p. 166) sed etiam Promethei cista valde suspecta est viris doctis, cf. Schumacher, eine praenest. Ciste im Museum zu Karlsruhe p. 51 adn. 3.

Perseus (ΜΥ8ΜꟼΒΠ) contra monstrum (ΚΒΤΟΜ) lapidibus coniectis pugnat, quos ei Andromeda (ΑΔ8⟨Μ⟩ΟꟼΔИΑ) post eum stans offert.

Vasa picta fig. rub.

2. Hydria Vulcis inventa mus. Brit. n. 801. ed. Archaeologia 36 tab. 6. Mediam picturam Andromeda tenet vestita tunica brevi manicata bracis pileo qualem interdum Amazones habent (cf. e. g. Millin peint. d. vas. I 10). Uterque eius lacertus fulcitur a singulis pueris Aethiopibus. A d. tres Aethiopes apportant supellectilem muliebrem, s. alteri tres terrae palos infigunt. In extrema parte d. Cepheus in saxo sedet ad s. conversus. Post eum Perseus stat pileo alato insignis hastis armatus.

3. Amphora magnifica Canusii inventa mus. Neapol. n. 3225 H. ed. Minervini mem. acad. I tab. 2—4 = mem. della acad. Ercol. IX tab. 5—7.

In zona superiore Andromeda manibus passis ad duos arborum truncos affixa est. Ad eam a d. accedit Cepheus senex imberbis a iuvene Phrygio fultus. S. Cassiepia maesta in patera erecta sedet; serva eam umbella tegit. In parte d. extrema puella lugens faciem occulit.

In zona inferiore Perseus contra draconem marinum harpe pugnat, dum quinque Nereides variis beluis marinis vectae pugnam intente contemplantur. Perseo Amor coronam offert.

4. Amphora in Lucaniae oppido Misanello reperta collectionis Santangelianae n. 708 H., ed. M. d. I. IX 38 cf. A. d. I. 1872 p. 108 ss.

Pictura priori similis sed multo minus diligenter picta in tres partes divisa est. In parte suprema Venus picta est cum Amore et Suada et tres iuvenes Phrygii, quorum unus cochleam tubae loco habet.

In parte media eaedem personae occurrunt atque in parte superiore vasis prioris; in parte infima Perseus rursus cum Ceto pugnat coram duabus Nereidibus et Scylla, cuius venter duodecim canum capitibus cingitur.

5. Amphora ibidem reperta coll. Santangel. n. 24 H., ed. Raoul-Rochette mon. inéd. tab. 41.

In parte infima Andromeda alligata est (utrum arbori an

saxo discerni nequit, cum vas passum sit pictorem recentem cf. Trendelenburg A. d. I. 1872 p. 114). Ante eam Perseus barbatus stat d. sublata harpen tenens; infra conspicitur Ceti caput. D. Cepheus et Cassiepia colloquuntur.

6. Fragmenta vasculi cf. Heydemann 7. Hall. W. P. p. 11. adn. 30.

Andromeda alligata est arcui lapideo.

7. Vasculum olim Casanovae Neapolitani, cf. Schulz A. d. I. 1838 p. 184.

Andromeda alligata est duabus arboribus.

8. Hydria olim Templei figuris luteis male picta cf. Panofka A. Z. 1848 p. 246.

Andromeda alligata est duabus columnis; a s. femina appropinquat hydriam capite portans, d. Perseus stat a pictore recenti male restitutus.

---

9. Patera etrusca ed. A. d. I. 1878 tab. S.

Perseus ad s. currit d. harpen alatam protendens s. Medusae caput Satyro simile portans. Ante eum Ceti barbati caput surgit.

Cista Praenestina.

10. Musei Luporensis, ed. M. d. I. VI 40 cf. A. d. I. 1860 p. 110 ss.

Ante saxa deserta Andromeda nuda alligata est iugo ligneo. D. mulier sedet illam adlocuta, s. Perseus hasta contra draconem pugnat. Iuxta hunc Silenus in saxis sedet. Pars altera infra s. V 1 describetur.

Picturae Pompeianae.

11. H. 1184, ed. Pitt. d'Erc. IV 61 alibi.

In regione deserta Andromeda rupibus adfixa stat; infra eam in mari Perseus cum Ceto crocodilo simili pugnat. Ad s. nympha marina fugit.

12. H. 1183.

Andromeda priori similis; infra eam Cetus; Perseus a s. per aera advolat.

13. cf. Mau B. d. I. 1883 p. 129, 3.

D. ante rupem mari circumdatam Andromeda stat; Cetus

a s. approquinquat capite sublato ad Perseum qui et ipse a s. per aera advolat.

14. S. 517.

Pictura priori similis; pars superior deleta est.

15. cf. Mau B. d. I. 1882 p. 106, 80.

Agnoscuntur Perseus prioribus similis, monstrum, rupis arborisque partes.

Andromedae et Persei personae.

16. S. 740, ed. Robert A. Z. 1878 tab. 3.

S. rupi acclinata est persona virilis cum galea alata unco ornata, iuxta eam harpe et pera. Mediae rupi adfixa est persona muliebris pallida capillis nigris incomptis, infra quam Ceti caput hians ex undis prominet. D. in rupe parentum personae conspiciuntur.

17. cf. Mau B. d. I. 1885 p. 94, 1.

S. Persei persona galea uncata tecta; iuxta eam harpe acclinata est. D. Andromedae persona flava; inter utramque Ceti caput.

Anaglypha fictilia.

18. Atticum, ed. Fraenkel A. Z. 1879 tab. 11.

Andromeda manibus passis in saxo stat; iuxta eam capsula et crepidae. Perseus a s. adveniens infra illam stat baculo rudi innixus s. gladium et cibisin tenens.

---

19. a) Lucerna Romae reperta, ed. Bartoli-Bellori-Beger, lucernae I 9. Montfaucon ant. expl. V 202, 2.

b) eiusdem formae ectypon melius servatum mus. Ravesteiniani, cf. Musée Ravéstein III p. 270 n. 347 a, Heydemann l. c. B.

Andromeda in saxo sedens capite reflexo colloquitur cum Perseo, qui a s. accedit manu s. gladium umero acclinans. Infra saxum monstrum sedet. D. Cepheus et Cassiepia colloqui videntur.

20. Mus. nat. Neapol., ed. Heydemann l. c. tab. III 1.

Andromeda vestita in saxo sedet ad s. conversa, unde Perseus accedens manum s. Andromedae umero imponit, d. harpen contra monstrum stringit.

21. Ed. Campana Opere in plastica tab. 57.

D. Andromeda nuda manu s. saxo adfixa est. Ab eadem parte Perseus ad s. decurrens harpe stricta monstrum immane fugat.

Anaglyphi marmorei fragmentum.

22. cf. Matz-Duhn n. 4105.

Servata sunt Andromedae corporis pars inferior, Persei pedes.

Urnae etruscae.

Sub arcu lapideo Andromeda sedet manibus passis arcui adfixis. A d. Ceti caput prominet, ut videtur torpefactum. S. Perseus stat Gorgoneum tollens, in extrema parte d. Cepheus sedet. Ad Andromedam a d. Furia alata accedit.

23. Mus. Volaterranei n. 330, ed. Gori mus. etr. I 123, Inghirami mon. etr. I 55. Koerte, rilievi delle urne etr. tab. 39, 1.

24. An. ad idem exemplar factum Volaterraneum cf. Koerte p. 103 n. 39, 1 a.

25. U. Florentiae in palatio Antinoriano asservata Duetschke II 367, ed. Koerte l. c. tab. 39, 2.

Eaedem personae.

26. U. mus. Volaterranei n. 331, ed. Gori mus. etr. III, I 1. Inghirami mon. etr. I 56. Koerte l. c. tab. 40, 3.

Arcus deest; Andromeda sine compedibus in saxo sedet. Furia deest. Figurae secernuntur singulis palmis.

Anaglypha Galloromana.

27. An. Arloni inventum, ed. Wiltheim Lucilburgensia n. 225.

Quantum in pictura foedissima agnosci potest, s. Andromeda stat manibus passis rupi adfixa; caput ad d. convertit ubi Perseus stat d. Medusae caput protendens s. falcem tenens. Infra Andromedam monstrum agnoscitur.

28. An. Trevirense ed. Wiltheim l. c. 226. Andromeda hic d. stat Psychae vinctae similis, Perseus a d. accedit. Infra virginem monstrum infantem devorat. Apud Wiltheimium mutata sunt anaglyphi latera.

R. Andromeda a Perseo adiuta de rupe descendit.

Monumentum quod ex literis novimus.

'Nicias fecit et grandes picturas in quibus sunt Calypso et Io et Andromeda'. Plin. 35, 132.

Monumenta servata.

Perseus pedibus alatis, manu s. harpen et Medusae caput post tergum condens a d. accedit ad rupem, unde Andromeda pectore d. nudo descendit, eiusque lacertum s. manu d. fulcit. Infra eos Cetus in undis moritur. In picturis 2—4 praeterea adsunt binae mulieres in saxis sedentes ἀκταί secundum Helbigium[1].

Picturae Pompeianae.

1. H. 1186, ed. Mus. Borb. V 32, Gell Pomp. II 67, Rochette choix tab. 26.
2. H. 1187, ed. Mus. Borb. VI 50, Zahn III 71.
3. H. 1188, ed. Pitt. d'Erc. IV 7, Zahn I 84.
4. H. 1189 (deleta).
5. cf. Mau Roem. Mitt. V p. 233, 2 (delin. ibidem).
6. S. 518.
7. S. 519.
8. H. 1190 (deleta).
9. H. 1191 (fortasse eadem atque praecedens est).
10. Huc pertinere videtur pictura H 1185 (deleta), quam descripsit Schulze A. d. I. 1838 p. 183:

'Andromeda manibus passis ad rupem adfixa est, ad quam accedit Perseus harpen manu tenens post monstrum interfectum'.

Anaglypha.

11. Mus. Capitolini, ed. centies, optime Schreiber hell. Reliefbilder XII. Andromeda hic plene vestita a latere conspicitur; Perseus manum s. post tergum ita abdit ut quid ea portarit non videamus.
12. Anaglyphi supra (K 31) descripti pars dextra.
13. Fragmentum instituti archaeologici Romani, Matz-Duhn n. 2894.

---

[1] cf. A. Z. 1863 p. 117. Rhein. Mus. 24 p. 497 s.

14. Lucerna fictilis musei Ravesteiniani, cf. Mus. Rav. I p. 289 n. 347.

15. An. mus. Neapol. ed. Mus. Borb. VI 40.

Videtur esse an. 11 a tergo conspectum; Perseus a s. accedit ita ut spectantibus tergum advertat; Gorgonis caput in manu eius conspicitur.

16. Anaglyphi vitrei fragmentum mus. Lupor. ed. Raoul-Rochette choix p. 315, 1.

Persei figura priori similis; Andromedae nihil nisi brachium d. servatum est.

17. An. in Algeria inventum ed. Expéd. scientif. de l'Algérie tab. 64. Clarac mus. sculpt. II 161 c, 203 A.

Perseus ambabus manibus adiuvat Andromedam, quae in saxo sedens arrigere se conatur. Infra sedem Gorgoneum magnum et gladius iacent. D. Cetus capite innixus stat.

Statuae.

18. Ed. C. F. Hermann Perseus und Andromeda, Goettingen 1851.

19. Similis compositionis pars fuisse videtur caput muliebre musei Trevirensis, a Loeschckio agnitum, oculis clausis, manu s. portatum[1].

Gemmae.

20. Iaspis ruber mus. Berol. IV 223 T.

20a. Lapis quem Nicolo dicunt mus. Brit. cf. Cat. of Gems in the Brit. Mus. 1262.

Perseus Medusae caput et harpen post tergum tenens ad Andromedam accedit quae vestita ei adversa est.

21. Carneolus mus. Petropolitani cf. Fedde de Perseo et Andr. p. 71, 2.

22. Iaspis ruber, cf. Visconti expos. de gem. ant., opere varie II p. 250, Fedde p. 71, 3.

---

[1] De reliquis statuis quarum mentio fit apud Beckium, Grundriss d. Archaeologie p. 217: Andromeda comitis Firmiani, altera Mutinensi, tertia anglica in domo quae vocatur Wiltonhouse asservata, nihil potui investigari; certe neque alterius apud Duestchkium neque tertiae apud Michaelem mentio fit.

Nummi.

23. Coropissi. Exemplaria asservantur in museis Berolinensi, Vindobonensi, Monacensi, Parisino. Ed. Sestini lettres num. IX tab. IV 15 (ex. Parisinum) Zeitschr. f. Num. XIII p. 73 (ex. Berol.) Abh. d. baier. Akad. 1888 tab. XI 12 (ex. Monac.) Ἐφημ. ἀρχ. 1889 tab. II 28.

Adscriptum est Κοροπισσέων τῆς Κήτων μητροπόλεως.

24. Deulti Thraciae oppidi, ed. Dumersan médailles de Ms. Allier de Hauteroche tab. III 10.

25. Caesareae Ponticae musei Cousineriani cf. Mionnet II 354, 129.

26. Nummus Alexandrinus ed. Rochette choix p. 315, 2.

S. Perseus et Andromeda Medusae caput aqua reflexum contemplantur.

In omnibus his monumentis nemo adest praeter Perseum et Andromedam, qui Gorgonei imaginem fonte reflexam admirantur.

Quamquam figurarum motus multis modis variantur, tamen omnia monumenta ad unum exemplar redire apparet.

Picturae Pompeianae.

1. H. 1192.

2. H. 1193, ed. Mus. Borb. IX 39. Minervini mem. della acad. Ercol. IX p. 229 = mem. acad. ante p. 65.

3. H. 1194, ed. Mus. Borb. XII 49. Minervini l. c. Niccolini l'arte in Pomp. tab. IX.

4. H. 1195.

5. H. 1196, ed. Mus. Borb. XII 50. Minervini l. c. Niccolini l. c. Zahn III 24.

6. H. 1197, ed. Pitt. d'Erc. III 12. Guattani mem. enciclop. V. Mus. Borb. XII 52. Minervini l. c. Niccolini l. c.

7. H. 1198.

8. H. 1199.

9. H. 1200. ed. Mus. Borb. XII 51. Minervini l. c. Niccolini l. c.

10. H. 1201.

11. H. 1202.

Opus vermiculatum.

12. Mus. Tarraconensis cf. Huebner Ant. Bildw. v. Madrid n. 683, ed. Albiñana Tarragona monumental tab. 15.

Lucernae.

13. Ed. Millingen anc. uned. mon. II 18, 1.
Fontis loco hic est lucernae foramen
14. cf. Catal. Camp. op. in plast. s. X n. 241.

Gemmae.

15. Sardonyx mus. Petropol. cf. Fedde l. c. p. 73, 4.
16. Sarda, ed. Ficoroni gemmae litteratae tab. III 5, cf. Fedde p. 74, 10.

T. Perseus et Andromeda nullo certo consilio compositi.

Vasa picta fig. rub.

1. Scyphus cf. de Witte cat. Dur. n. 244.

Perseus altera manu harpen, altera Medusae caput portans caput reflectit ad feminam manus pandentem.

2. Vasculum Mantuae repertum generis Apuli cf. Henzen B. d. I. 1848 p. 62.

Perseus Medusae caput d. portans discedit ab Andromeda (?) sedente, cui Amor coronam imponit.

V. Perseus cum Andromedae procis pugnat.

1. *Cistae praenestinae* supra (Q 10) descriptae pars altera.

Miles diademate orientali insignis hasta pugnat contra equitem, cuius equus ad genua priora procubuit. Post militem Victoria sedet coronam tenens. Perseum pictum esse propter alterius partis picturam verisimile est.

2. *Anaglyphum urnae etruscae* mus. Volaterr. n. 329, ed. Inghirami mon. etr. I 54, Koerte tab. 40, 4.

Perseus s. clipeum et Medusae caput, d. harpen gerens ad d. currit; sequuntur duo milites gladiis strictis. Inter priorem et Perseum mulier alata d. manum militis clipeo, s. Persei umero imponit.

3. *Pictura Pompeiana* H. 1203.

In regione aperta Perseus cum procis pugnat.

II.

1. *De Persei armatura.*

Apud Hesiodum[1] Perseus armatus est crepidis alatis (πτερόεντα πέδιλα) gladio (μελάνδετον ἄορ) cibisi (κίβισις ἀργυρέη) Plutonis galea (Ἄιδος κυνέη), apud Pherecydem[2] crepidas cibisin galeam accipit a Nymphis. Illustrantur quodam modo illa scriptorum testimonia vasculi chalcidensis E 1 pictura, in qua tres Nymphae Perseo offerunt crepidas alatas petasum cibisin; gladio iam cinctus est heros. Eadem arma occurrunt in reliquis artis antiquissimae monumentis. Neque vero semper artifices veteres illorum armorum vim divinam significare conati sunt. Crepidae quidem alatae sunt in vasculo chalcidensi, in reliquis autem monumentis antiquissimis eandem formam habent atque crepidae ab aliis personis portatae. Unci enim sive laciniae scorteae, quae e marginis superioris parte anteriore atque interdum e parte posteriore pendent, iniuria mihi a viris doctis appellari videntur alae, neque enim solum Persei Mercurii Iridis caligae talibus uncis ornatae sunt, sed etiam aliarum personarum, velut in monumentis nostris Gorgonum (cf. K 9, 12, 14), quae cum alis umeralibus praeditae sint, nimirum carere possunt alis pedalibus. Ne tunc quidem alas agnoscere possum, cum laciniae illae plumatae esse videntur, ut in K 1, 6, nam easdem lacinias plumatas Apollo habet A. d. J. 1856 tab. 10[3], cui nemo tribuet crepidas alatas.

Quomodo explicandae sint laciniae plumatae, docemur vasculo quodam cruris forma in museo academico Bonnensi asservato. Ibi enim anterior caligae margo superatur palmula magna. Talem autem palmulam a latere conspectam necesse est fieri uncum plumatum, qualem videmus in monumentis laudatis. Alae igitur pedales propriae fuisse videntur Chalcidensium, qui eis ornare solebant levis armaturae milites velut e. g. Paridem[4]. Confirmatur hac re id quod aliis quoque causis probatur, Scuti Herculei auctorem, qui adeo premit Persei πτερόεντα πέδιλα, ante oculos habuisse artis euboicae monumenta.

Exeunte demum nigrarum figurarum arte figuli attici

---

[1] Sc. H. 220—228.

[2] Schol. Ap. Rh. IV 1515.

[3] Item sagittarius (Clytotoxus?) Gerhard A. V. 191.

[4] Gerhard A. V. 322.

Perseo dederunt crepidas alatas (cf. K 14, N 2) eodem tempore quo Mercurium illis instruxerunt [1].

Ditis galea apud antiquissimos artifices est aut pileus aut antiquae formae petasus margine angusto circumdatus. Cum propria illius galeae vis exprimi non posset, quinti saeculi artifices in illa repetiverunt crepidarum signa: alas. Pileum quoque alatum ante Perseum Mercurius habuit [2]. Probantur igitur quasi monumentis ea quae Aeschylus narravit in Phorcidibus [3], Perseum a Mercurio accepisse et galeam et crepidas.

Nova galeae forma occurrit in nummo cyziceno antiquiore P 29; Κυνῆ thracia est acuminata, qualem e. g. Orpheus habet in notissimo anaglypho Albano, sed alis praedita. Eiusdem fere generis fuisse videtur galea quam tulit capitum marmoreorum P 5, 6 exemplar; foramen enim quod in utriusque capitis parte media est, ad excipiendum acumen illud videtur factum esse. Praeterea in capitibus illis agnoscuntur squamae quibus galeam fuisse aeneam indicatur. Ditis autem galea facta est a Cyclopibus [4].

Thraciam galeam, alterius quoque nummi cyziceni Perseus portare videtur, quamquam ibi acumen non agnoscitur. Eo accuratius ficta est lacinia e posteriore parte pendens quae apud Thraces ipsos solet esse cauda vulpis. Galeam illam thraciam a quinti saeculi Atheniensibus saepe portatam esse testantur e. g. equites in Parthenonis cella sculpti [5].

Pro acumine illo postea inductum est aquilae caput, quippe quod melius quadraret ad alas. Praeter hanc formam inde a quarto saeculo vulgo adhibetur pileus phrygius alatus Perseo ut Persarum atavo obtrusus. Alas ex ipso capite enatas in Perseo antiquo non inveni; qua re nolim capitulum quoddam cyrenaicum cum editoribus vv. dd. Smithio et Porchero [6] pro Perseo habere.

Tertium donum Nympharum cibisis est, quae et ipsa

---

[1] Cf. Tychii vasculum Vorlegebl. 1889 tab. VI 1.

[2] Cf. Gerhard A. V. 110, 1; Heydemann, Griech. Vasenb. III 2.

[3] Hyg. poet. astr. II 12; Erat. Catast. 22.

[4] Apollod. I 2, 1, 3.

[5] Cf. Michaelis, Parthenon, tab. 9, 8. 15. 19; 10, 3. 4. 36. Furtwaengler, Berl. Winckelm. Progr. 1890 p. 160.

[6] Smith and Porcher, history of the recent discoveries at Cyrene, tab. 75.

varias formas accepit ab artificibus. Antiquissima forma videtur esse magna illa pera, quam Hesiodus describit [1] quamque reperimus in vasculis antiquissimis K 1, 4—6; prae ceteris accurata picta est in K 6. Paulo inferior videtur esse fiscus rotundus aut manu portatus ut in K 8, 9 aut e baculo pendens ut in sarcophago cyprio K 28. Tale instrumentum esse antiquissimum docemur testa Mycenaea edita a Furtwaenglero et Loeschckio [2], in qua pictus est homo ad dextram gradiens, qui baculo ad umerum acclinato portat rem quandam rotundam. In explicanda testa editores iam ad sarcophagum nostrum relegaverunt.

Hae duae formae quamvis variatae per totam antiquitatem manserunt, nisi quod sculptores temporis inferioris saepe omnino omiserunt cibisin ut sibi molestam et Gorgoneum ipsa Persei manu portatum finxerunt.

Pro cibisi habere non possum rem quadratam ab adulescentulo in patera rhodia musei Berolinensis [3] portatam. Adulescentem illum propter id instrumentum et propter uncos caligarum Perseum appellaverunt viri docti. Uncos autem neque alas neque Persei proprios esse demonstrare supra conatus sum; atque fiscella illa quadrata quam plurimum distat a reliquis cibisis formis neque ullo modo apta est ad excipiendum caput humanum. Tale instrumentum invenitur inter suppellectilem muliebrem et in manu Cephali pueri ab Aurora agitati [4]. Praeterea a Perseo alienus est canis, qui inter adulescentis nostri pedes et ipse ad dextram currit. Quibus de causis e catalogo meo exclusi Perseum illum qui videbatur esse antiquissimus.

Telum quo Perseus utitur ad Medusam debellandam in monumentis archaicis in hac quoque re congruentibus cum Scuto Hesiodeo (μελάνδετον ἄορ v. 221) g l a d i u s est. Pro gladio saeculo quinto inductus est culter curvatus falci similis sive falx ipsa, quibus formis artifices exprimere voluerunt ἅρπην, quam secundum Pherecydem Perseus a Vulcano accepit. Apud Hesiodum Saturnus h a r p e utitur ad resecandum Urani membrum. In monumentis nostris semel occurrit falx serrata (K 17) [5], qua

---

[1] Cf. Sittl, A. J. II p. 185.

[2] Mykenische Vasen tab. 41, n. 425.

[3] N. 3917, ed. Salzmann la nécropole de Camire tab. 55, 2.

[4] Gerhard Etr. Sp. 179.

[5] Cf. instrumentum, quo Iolaus in vase nigris figuris ornato (M. d.

instrumenti forma artifex videtur exprimere voluisse καρχαρόδους epitheton ab Hesiodo [1] harpae additum. Postremo coniuncti sunt gladius et falx, unde orta est quae proprie a recentioribus vocatur harpe. Formam illam ex oriente receperunt artifices, ubi elephantorum rectores simili instrumento et olim utebantur [2] et hodie utuntur. In monumentis nostris primum occurrit talis harpes exemplum in amphora attica I 4 circa annum 400 orta.

Adversus Cetum Perseus in vase corinthiaco Q 1 pugnat lapidibus coniectis, quam fabulae formam a scriptoribus non traditam antiquissimam esse apparet. Illam autem pugnandi rationem recentiores facile poterant ita immutare, ut pro lapidibus inducerent Medusae caput, cui inerat in lapidem vertendi vis. Ac revera in anaglyphis etruscis Q 23—26 videmus Perseum Cetum Gorgoneo torpefacientem. Interruptus est autem ille rerum progressus alio momento. Displicuit nimirum saeculis a. Chr. n. quinto et quarto heros nullo ipsius periculo pugnans, qua re illius aetatis artifices Perseum aut hasta (Q 2, 10) aut eadem illa qua Medusam debellabat harpe (Q 3, 4) armaverunt. Quos ut id facerent impulsos esse a poetis tragicis infra demonstrandum erit.

Infimi commiscuerunt utramque pugnandi rationem velut pictores tabulae a Luciano descriptae Q a et parietis Pompeianae Q 11, hi quoque poetarum vestigia prementes [3].

2. *De Medusae formis.*

Non minus quam Perseus Medusae et sororum figurae varias per saecula passae sunt mutationes. De Gorgonibus ab artificibus antiquis fictis cum copiosissime egerit Furtwaengler vir doctissimus in Roscheri lexico mythologo, satis habeo de nostrorum monumentorum Gorgonibus pauca addidisse.

Gorgonibus longa tunica vestitis, quas arti ionicae vindicavit Furtwaengler l. c. p. 1710, recensitis ibidem adiciendae

---

I. III 46, Rossbach Griechische Antiken des archäol. Museums in Breslau p. 5) Hydrae capita resecat.

[1] Theog. 175, 180.

[2] Cf. Ael. hist. an. 13, 22.

[3] Cf. Ov. Metam. IV 663—740.

sunt Medusa tripodis aenei I 2 operis aut graeci aut ad optimum exemplar graecum facti [1] et Medusa scarabaei etrusci I 15.

Caput Medusae in vasculis figuris nigris ornatis in vasculo figuris rubris ornato K 15 in metopa Selinuntia I 1 formam praebet antiquissimam (I Furtwaengleri), in reliquis vasculis figuris rubris ornatis artis severae et in tripode I 2 formam mediam (II F.), in recentioribus monumentis plerisque formam pulchram (III F.), cuius antiquissima exempla sunt vasorum picturae N 4—6. Sed inter formas mediam et pulchram inserenda est nova, quam appellabo barbaram sive satyricam. Nam cum in H 1 Medusa dormiens praebeat faciem generis medii (angues desunt, oculi clausi sunt), in pyxide H 2 non ita multo post orta facies ad Aethiopum exemplum ficta est. Casu non accidit ut Medusa dormiens prima immutaretur; somnus ipse mitigat terrorem antiquum Gorgonis, Medusa dormiens humanior ac iam paene idonea est quae misericordiam nostram moveat. Aliam terroris leniendi rationem adhibuit Tuscus, qui in patera Q 9 Perseum pinxit portantem caput satyricum auribus ferinis praeditum. Cum hic ioci causa antiquum Gorgoneum in Satyri caput mutavisse videatur, figulus atticus haud ignoravit virorum doctorum V saeculi sententias, qui in Libya Medusam collocaverunt [2], unde orta est illa fabulae explicatio multo post ab Euhemeristis prolata, Medusam fuisse reginam Libyae [3]. In eadem pyxide alio quoque modo significatur regio ubi facinus committitur: arbore sub qua Medusa dormit. Eadem arbor occurrit in K 22 (ibi fructibus onusta) et in Daldianorum nummo H 6 et videtur non sine causa scaenae nostrae illata esse; Gorgones enim habitant secundum Hesiodum (Th. 274, 75)

. . . . . πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο
ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι.

Est igitur arbor Hesperidum, quibuscum Gorgones etiam cognatae sunt; Hesperides et ipsae Phorcyis et Cetus filiae

---

[1] In altera tripodis parte Peleus fictus est luctatus cum Thetide, quae eodem modo atque in vasis pictis (Overbeck Sagenkreis tab. VII 3, 5, 6; Heydemann Griech. Vasenb. VI 1—3) in varias bestiarum formas mutatur. Notandum est in arca quoque Cypseli Perseum fugientem compositum esse cum Peleo et Thetide cf. Paus. V 18, 5.

[2] Cf. Herod. II 91 οἴσοντα ἐκ Λιβύης τὴν Γοργοῦς κεφαλήν.

[3] Palaeph. 32; Diod. III 55, 3.

appellantur [1], una ex iis Medusa vocatur [2], Hesperidum draco Phorcyis et Cetus filius atque Gorgonum frater iam apud Hesiodum est [3].

Medusa aethiopica quamquam scriptoribus semper nota fuit, apud artifices mox in oblivionem venit. Qui sequuntur vasorum pictores Perseum faciunt pro Gorgoneo caput femininum vulgare portantem; initio saeculi quarti additis capillis anguiformibus et anguium nodo infra mentem conserto orta est notissima temporis inferioris Gorgonei forma.

3. *De monumentorum temporibus et auctoribus.*

Fabulae primae pictae sunt eae quae singulis vel binis figuris saepius repetitis exprimi poterant; velut peditum series Centaurorum seriei opposita fiebat Lapitharum cum Centauris pugna, sagittarius cum compluribus Centauris pugnans Hercules appellari poterat [4].

In antiquissima artificum graecorum figurarum copia reperiuntur monstra alata currentia et homines nudi altero brachio protento altero retento currentes. Talis homo nudus quem sequuntur duo monstra fit Perseus a Gorgonibus agitatus; alter homo additus Mercurii partes suscipit. Hanc antiquissimam fabulae ab artificibus tractatae formam servavit tripus etruscus K 31.

Mox cum ars archaica didicisset singulas personas distinguere et significare, Perseus cibisi gladio petaso sive pileo ornatus est, Mercurius, si aderat, caduceo. Perseus solus cum duabus Gorgonibus fictus erat in Scuto Hesiodeo [5] et in Cypseli arca; in monumentis servatis accedere solent Medusa Mercurius Minerva. Di aut stant (K 3, 7, 9, 12) aut currunt (K 4); alterum Minervae alterum Mercurii proprium esse videtur, nam in K 1, ubi Minerva stans picta est, Mercurium cucurrisse crure servato probari videtur. Medusa plerumque sororibus similis est, nisi quod caput deest; mature autem didicerunt eam a latere conspectam alis complicatis procumbentem pingere (K 2).

---

[1] Schol. Ap. Rhod. IV 1399.

[2] Mythogr. Vat. III f. 13; Fulgent. p. 156.

[3] Theog. 334.

[4] Cf. Loeschcke A. Z. 1882 pp. 44, 48 ss.

[5] De ratione inter Scutum et vasa antiquissima intercedente Sittl egit A. J. II p. 185.

Pro capite reciso artifices ionici et qui eos secuti sunt interdum Medusae dederunt caput equinum (K 4, 5), quo significaretur Pegasus natus. Tale monumentum ante oculos habuisse videtur Hes. Theog. vv. 280 s.

τῆς δ' ὅτε δὴ Περσεὺς κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησε
ἔκθορε Χρυσάωρ τε μέγας καὶ Πήγασος ἵππος.

Nam aliam quoque fabulae formam exstitisse, qua Pegasus non e collo Medusae prodierit, sed alio quodam modo ortus sit, probatur metopa Selinuntia I 1, ubi Pegasus iam adest priusquam Medusae caput recisum est [1]. Atque a Ionibus inventam esse Medusam capite equino praeditam apparet vel ex vase K 4, quod licet Athenis factum sit, ut Furtwaengler contendit, certe resipit artem ionicam [2], vel inde quod postea apud solos Iones et qui illos imitati sunt Etruscos inveniuntur Pegasus et Chrysaor e Medusae collo una prodeuntes (K 28, 24) et Chrysaor solus (K 30).

Medusam cuius e collo caput equinum emergit, ad exemplar deorum orientalium capitibus ferinis praeditorum fictam esse apparet; ostendit autem Milchhoefer [3] capita equina daemonibus addita apud solos Graecos inveniri. Idem vir doctissimus coniecit l. c. p. 62 pictores cum Medusae darent caput equinum, restituisse quasi primitivam illius formam; Medusam enim non minus quam aliam Neptuni amicam, Cererem Phigalensem, quae vocatur μέλαινα [4], antiquitus habuisse caput equinum.

Eadem fere aetate atque Perseus a Gorgonibus agitatus Medusa a Perseo occisa est, quae compositio, cum illa magis ad zophori formam quadraret, ad metopam explendam

---

[1] cf. infra p. 49.

[2] Opus vasi K 4 simillimum imitatus est qui K 5 pinxit. Persei figura est eadem atque in K 4, nisi quod deest gladius et minus accurate pictae sunt cibisis et pellis. Animadvertimus aliquod aequandi et contrahendi studium ex inferiore pictoris arte natum. Mercurius plane assimilatus est Perseo; Gorgones eodem modo brachia movent ac Perseus et Mercurius; pro quaternis alis instructae sunt binis eisque aduncis, quae tamen ex alis aduncis atque reduncis concrevisse videntur. In pingenda Medusa pictor compilavit Medusam currentem capite equino praeditam vasis K 4 cum Medusa procumbente cuius e collo sanguis profluit vasis K 2.

[3] Anfänge der Kunst in Griechenland p. 55.

[4] Paus. VIII 42, 3.

aptior visa est. Ac metopae formam servaverunt pleraque huius scaenae monumenta; antiquissima est metopa templi Selinuntii C, quod haud ita multo post Selinuntem conditam (a. a. C. n. 628) aedificatum esse censet Benndorf[1]. Iam hic eaedem atque in plerisque etiam serioris aetatis monumentis tres adsunt personae: Perseus Medusa Minerva. Quartus in metopa accedit Pegasus alatus, quem Medusa brachiis amplexa tenet. Hunc ego neque ex prolepsi additum ab artifice, ut vulgo credunt[2], neque e sanguinis stillis ortum, sed re vera partum esse a Medusa crediderim. Artifex Selinuntius, ut supra iam dixi, aliam traditionem secutus est atque Hesiodus eique artifices qui Pegasum e Medusae collo prodeuntem fecerunt.

Perseus in hac scaena solet imberbis esse. Minerva quae adest in I 1 et 6 post Perseum stat velata nullo attributo insignita, qua re eam Minervam appellare olim dubitavit Benndorf l. c. p. 44. Quae doctissimi viri dubitatio solvitur inscriptionibus vasorum E 1 K 1, in quibus et ipsis Minerva attributis caret, atque eo quod in K 6 mulier illa velata Persei manum dirigit, quae antiquissima forma auxilii a Minerva Perseo lati esse videtur[3].

Pro Minerva Amasis in I 3 induxit Mercurium Perseo similem ab altera Medusae parte accurrentem, quo factum est, ut utrumque picturae latus congrueret et alterum alteri responderet[4].

Inter antiquissimas porro picturas mythologas recensenda est E 1 in vasculo quod Chalcide fabricatum esse et ars et inscriptiones declarant. Videmus tres Nymphas quae Perseo a Minerva comitato offerunt crepidas alatas petasum cibisin. Quibus de rebus supra disputatum est. Eandem scaenam Gitiades caelaverat in Minervae Chalcioeci templo, nisi quod is duas tantum Nymphas galeam et crepidas portantes finxisse videtur.

Quartum mythi momentum iam ab antiquissimis artificibus tractatum esse proximo demum tempore comperimus. In

---

1 Die Metopen von Selinunt p. 26.
2 Cf. e. g. Six de Gorgone p. 80.
3 Cf. Apollod. II 4, 2, 8 κατευθυνούσης τὴν χεῖρα Ἀθηνᾶς.
4 Haec eadem compositionis forma postea repetita est, cf. infra p. 55.

amphora corinthiaca Q 1 Perseum videmus cum monstro marino, cui Andromeda devoranda exposita est, pugnantem lapidibus coniciendis; unde primitivam illius fabulae formam nos discere supra monstravi.

Perseus Polydectem puniens iam ante oculos fuisse videtur pictori vasis N 1, qui tamen male intellexit rem tractandam. Persei et Mercurii attributa inter se confusa sunt [1], etiam a Gorgonibus Perseus mutuatus est alas umerales. Apud ceteros artifices graecos Perseus tali modo alatus non invenitur; soli Etrusci alarum prodigi eum talibus alis instruxerunt in speculo K 26.

Exeunte nigrarum figurarum arte ortum est vas animadversione dignum N 2, cuius nihil nisi fragmentum servatum esse dolemus.

Sextam fabulae scaenam iam figulis nigris figuris pingentibus notam fuisse Kretschmeri sagacitas nuper nos docuit, qui in pictura vasculi a Wittio edita O 1 agnovit Perseum et Maenadas. Altera eiusdem generis pictura priori simillima reperitur in vase Wuerzburgensi O 2, tertiam Loeschcke vidit apud principem Ruspoli [2]. Videmus quam pervulgatus antiquissimis iam temporibus mythus ille fuerit quem — ut omittam unum vestigium apud Pausaniam [3] exstans — infima demum antiquitas nobis tradidit versibus Nonni Panopolitani [4].

Ineunte saeculo quinto et rubrarum figurarum arte plane commutatur fabula ab artificibus tractata. Scaenae antiquissimae arti dilectae emoriuntur; vix iam invenimus Perseum fugientem aut Gorgonem persecutam; contra emergunt novae atque in primis eae quae ad animum movendum magis idoneae videantur. Artem epicam ut ita dicam sequuntur artes lyrica et scaenica.

Hoc loco primum occurrit Danaes fabula, cuius tres scaenas tractaverunt artis severae vasorum pictores: Danaen imbrem aureum excipientem, arca includendam, ad Seriphi oram appulsam. Vasa illa pulcherrima A 1 (B 1), B 2, C 1 et arte et

---

1 Perseus caduceum in amphora quoque etrusca K 24 gerit.

2 Cf. infra p. 63.

3 II 20, 4.

4 Dionys. 47, 446 ss.

tempore artissime inter se cohaerere apparet; ars autem proxime abest a magnis quos vocamus paterarum pictoribus. Recensenda sunt vasa nostra inter crateras magnis figuris ornatas, quarum nulla artificis nomine insignita est [1].

Habemus igitur totum cyclum picturarum ad Danaen pertinentium intra prima saeculi quinti decennia Athenis ortarum, quas non ita multo post secuta est cratera Cataniensis N 3 continens Polydectem coram Danae [2] a Perseo in lapidem convertendum.

Quo factum est, ut fabula antea artificibus ignota tanta subito gratia apud vasorum pictores floreret? Casu vix accidit, quod eodem tempore quo vasa nostra facta sunt, Aeschyli tragoediis fabula Danaeia Atheniensibus ante oculos posita est. Quo autem modo poetae scaenici inspiraverint vasorum pictores, nondum satis expertum est; nam figulos non potuisse scaenam tragicam delineare hodie inter viros doctos constat. De una quadam via, qua interdum fortasse explicandus sit tragoediarum et vasorum consensus, infra disputaturus sum.

Eadem aetate qua vasa artis severae picta sunt, ortus est sarcophagus cyprius K 28, quem ionici artificis opus esse et Medusae tunica longa et Pegasus Chrysaorque ex illius collo prominentes declarant. De cibisis forma singulari supra [3] egi; praeterea autem explicandus est canis, qui inter Medusam concidentem et Perseum decedentem sedet. Similiter in anaglypho Trysaeo K 29 aliquot decenniis post orto bestia quaedam cani similis post collem sedet, quem Perseus praetercurrit. Quis est

---

[1] Cf. v. Rohden apud Baumeisterum Denkm. III p. 1990. Proxime a vasis nostris abesse amphoram Croesi quae vocatur (M. d. I. I 54) perspexit Klein Euphronios p. 44.

[2] Mulierem sedentem Danaen appellare dubitaverunt viri docti, quia tunc Danae exposita esset Gorgoneo. Non puto ita intelligendum esse pictoris consilium. Is enim, cum Gorgoneum a latere conspectum pingere non posset, fecit a fronte conspectum; animo autem fingendum est illud ad dextram conversum esse. Itaque vim eius experientur et rex et qui post eum stat vir; Polydectes enim in lapidem conversus est cum suis secundum Pherecydem (schol. Ap. Rh. IV 1515); non afficitur capitis vi noxia mulier ab altera Persei parte sedens. Qua re ne opus est quidem, ut cum Iahnio putemus Gorgonei vim in pictura nostra sublatam (*suspendiert*) esse. Similiter in N 5 Dictys non expositus est capiti letifero.

[3] p. 43.

canis ille? Meminimus apud Homerum λ 634 Γοργείην κεφαλήν apud Proserpinam in inferis habitare. Etiam Vergilius Aen. VI 289 Gorgones cum aliis monstris in inferorum introitu collocat. Puto artifices ionicos illud fabulae momentum in animo habuisse atque ideo Perseum ad inferos descendentem fecisse, ubi Medusam interficeret. Tunc canis ille Cerberus est, quem Perseus praeterire debet, ut rursus ad lucem perveniat; colle autem post quem canis sedet in anaglypho Trysaeo, indicari videtur Cerberi antrum.

Tertiam V saeculi sculpturam hoc loco subiungam anaglyphum melicum K 30. Ibi Perseus equo vectus Medusam necavit, quae pugnae forma adeo aliena est ab antiquae artis Perseo, ut eam explicare non possemus, nisi adesset alterum anaglyphum, in quo Bellerophontes Chimaeram debellat, nostro plane respondens atque una inventum. Qua re ad eandem rem utrumque anaglyphum pertinuisse Brunn coniecit [1], qui imitatum esse putat artificem anaglypha a Thrasymede in solio Aesculapii Epidaurii sculpta [2]. Quae viri doctissimi coniectura refutatur inscriptione Epidauri reperta [3] qua Thrasymedem quarto demum saeculo vixisse evincitur. Rectius igitur iam antea Loeschcke [4] ex eodem traditionis fonte utrumque artificem hausisse docuit.

Ut vasorum pingendorum ars processit atque e severa facta est pulchra, magis magisque pictores vestigia veterum artificum reliquerunt atque nova et difficiliora ad pingendum sibi quaesierunt.

In Medusae caede pingenda non iam id temporis momentum eligitur, quo Perseus Medusae caput resecat, sed momentum antecedens: Perseus Medusae dormienti obrepit (H 1—3). Tali modo scaena illa antiquo terrore orbatur, spectantium animi magis attenduntur. Quantum ad mitigandum Gorgonei vultum scaena ita immutata valuerit supra monstravi.

Etiam nova et inaudita pingere audent figuli: Graeae vix cogitatione exprimendae pinguntur (E 1); ante spectantium oculos

---

[1] Abh. d. Münch. Ak. 1872 p. 535.

[2] cf. Paus. II 27. Idem Brunnii disputatione non cognita coniecit Six, de Gorgone p. 55.

[3] Cf. Foucart Bull. de corr. hell. XIV p. 592; Gurlitt Arch. ep. Mitt. a. Oe. XIV p. 129.

[4] De basi Spartana p. 45.

Polydectes in saxum mutatur (N 4); etiam Gorgoneum fontis superficie ut speculo reflexum imitari conantur (M 1—4). Hoc tempore iterum in monumentis nostris reperimus Andromedam; quantum autem distat vasis attici pictura a veteris figuli Corinthiaci opere (Q 1)!

Vas illud quod mihi in animo est, summa intentione videtur dignum esse. Hydria est magna eiusdem generis atque ea quam ediderunt Genick et Furtwaengler, *Keramik* tab. XXX[1]; pictura autem cum iis vasorum imaginibus quibus Polygnoti artem nobis repraesentari credimus maxime congruit[2]. Nec minus digna est quae accuratius tractetur res picta. Videmus Andromedam alligandam ad palos quos Aethiopes terrae infigunt, et Perseum cum Cepheo collocutum. Unde nam talis scaena sumi poterat nisi e tragoedia? tres actores: rex Perseus Andromeda, Aethiopum chorus aequis partibus ad utrumque latus distributus, vestimenta picta, omnia impellunt nos, ut de theatro cogitemus. Sed solent negare viri docti quinto iam saeculo figulos delineavisse tragoediarum scaenas; artem illorum inferiorem fuisse, quam ut tales scaenas e memoria refingere possent. Puto tamen viam inveniri posse, qua nihilo minus tragoediae scaena in vase antiquiore picta explicetur. Reisch in libro qui inscribitur *Griechische Weihgeschenke* p. 116 ss. choregos victores statuas vel tabulas vovisse docuit; idem v. d. p. 139 longe plurima illius generis anathemata fuisse tabulas pictas coniecit. Talem πίνακα choregi victoris si imitatum esse putabimus hydriae nostrae pictorem, optime explicabitur pictura. De cuius autem poetae fabula cogitabimus? Si omittimus Phrynichum[3], duas habemus Andromedas fabulas, Sophocleam atque Euripideam. Ab Euripidis fabula scaenam nostram alienam esse docemur fragmento 114 — ineunte enim tragoedia iam affixa est saxo Andromeda —; relinquitur igitur unus Sophocles cuius fabulam in Persia agi ex vocabulo σάρητον sive σάλητον (fr. 131) iam Tuempel[4] coniecit. Nec mirandum est,

[1] Mus. Berol. n. 2388. Plane similes sunt hydriae Brunsvicenses A. Z. 1881 tab. 15, 16 editae.

[2] Cf. Robert, die Nekyia des Polygnot.

[3] De Phrynichi quae commemoratur Andromeda cf. Robert A. Z. 1878 p. 16 adn. 10.

[4] Die Aethiopenlaender des Andromedamythus Fl. Jahrb. Suppl. XVI p. 132.

quod praeter Persas videmus Aethiopes, cum idem vir doctissimus l. c. p. 184 Aethiopes persicos Graecis (fortasse per Scylacem geographum) notos fuisse monstraverit. Apud Aeschylum iam occurrunt Indi τοῖς Αἰθίοψιν ἀστυγειτονούμενοι. Nec magis mirum est, quod Aethiopibus nostris pictor dedit facies Aethiopum africanorum inde ab Amasi[1] pictoribus graecis consuetas.

Puto igitur picturam vasculi nostri esse imitationem tabulae a chorego qui Sophoclis Andromeda vicit consecratae. Quae si recte disputata sunt, fortasse non nimis audacter σάρητον illud quod μεσόλευκον χιτῶνα fuisse Hesychius testatur agnoscimus in Andromedae vasculi nostri tunica mirabili, cui mediae imposita est lacinia pellis ut videtur albae. Quod autem Perseus nec Medusae caput nec harpen gerit, sed hastis armatus est, coniciendum est eum apud Sophoclem sicut in cista Praenestina Q 10 hasta adversus monstrum marinum dimicavisse.

Exeunte saeculo V atque ineunte saeculo IV artifices id studere coeperunt, ut animos spectantium delectarent ac sensibus voluptatem praeberent. Tunc orta est Danae nuda imbrem aureum excipiens cuius antiquissimum exemplum est vas multicolor A 3. Etiam Medusam nudam fingere circa annum 400 ausus est auctor ignotus operis per totam antiquitatem celeberrimi, cuius exempla antiquissima quae aetatem tulerunt vascula sunt I 7, 8 initio fere saeculi quarti orta. Longo temporis intervallo ab his distant reliqua: pictura Pompeiana I 9, tabula a Luciano descripta I c, anaglypha dacica I 10—12, nummus I 13. Nihilo minus in omnibus paene eaedem sunt figurae Persei, qui capite reflexo chlamyde passa a sinistra accurrens manu sinistra Medusae caput comprehendit, dextra harpen gladiumve collo eius admovet, et Medusae, quae ad genu sinistrum procumbens usque ad pudenda nuda, nisi quod vestimenti lacinia de umero sinistro pendet, manu dextra Persei brachium dextrum amplectitur (excepto I 9). In eo differunt, quod Medusae brachium sinistrum in reliquis monumentis aut extensum aut capiti admotum est, in anaglypho I 10 autem gladii acumen comprehendit, quod exaggerantis est artificis romani. Idem dicendum est de Perseo in pictura I 9 genu sinistrum Medusae

[1] Cf. Memnonis satellites, Vorlegeblätter 1889 III 3.

femori infulciente, quod momentum pictor mutuatus esse videtur ab Hercule cervam domante. In I 9, 10, 13 et apud Lucianum tertia persona accedit Minerva clipeum tenens, quam compositionis integrae partem fuisse eo quoque probatur, quod in antiquissimo exemplo I 7 si partem amissam restituimus, tantum spatii relinquitur quantum Minervae figura expletur. Artifex igitur repetivit veterem compositionem metopae Selinuntiae suae aetatis ingenio adaptatam [1]. Atque clarissimi quidem artificis opus fuisse monumentorum nostrorum exemplar necesse est, quod anno circiter a. C. n. 400 ortum etiam infimae antiquitatis artificibus exemplo esset.

De aevi inferioris vasis, quae ad Andromedam a Perseo liberatam pertinent, Hermann Fedde Trendelenburg Robert accurate egerunt [2] eaque inspirata esse Andromeda fabula Euripidea probaverunt. Unum autem tenendum est, quod merito Trendelenburg pressit, summa semper libertate artifices tractasse tragoediam. Euripidi quidem deberi videtur Perseus harpe adversus Cetum pugnans vasorum Q 3, 4; quod autem in plerisque vasculis Andromeda alligata est lignis arboribusve, de suo addiderunt pictores, quibus saxum cui apud Euripidem affixa est Andromeda difficilius ad pingendum visum est. Unum monumentum plane cum tragoedia congruere videtur: anaglyphum fictile Q 18 haud ita multo post Andromedam actam Athenis ortum. Hic Perseus modo adveniens et ad virginem rupi affixam suspiciens re vera dicere videtur.

Ἔα, τίν' ὄχθον τόνδ' ὁρῶ περρίρυτον
ἀφρῷ θαλάσσης παρθένου τ' εἰκώ τινα
ἐξ αὐτομόρφων λαΐνων τειχισμάτων
σοφῆς ἄγαλμα χειρός (fr. 125 N.).

Iam quaerendum est nonne ulla alia ex multis quae Persei fabulam tractaverunt tragoediis vestigia reliquerit in Magnae Graeciae vasis.

A Benndorfio Vorlegeblätter ser. B IV 1 post Millingenum peint. ant. de vases 23 iterum edita est pictura vasis in biblio-

---

[1] Non secus ac veterem compositionem Amasis (I 2) recentiorem mutavit vasculi I 8 pictor inducto pro Minerva Mercurio, qui ab altera Medusae parte accurrit Perseum adiuturus.

[2] Cf. scripta p. 2 laudata.

theca Vaticana asservati nondum satis explicata [1]. In media pictura iuxta magnam palmam ara picta est, in qua sedet senex tunica manicata chlamyde caligis vestitus gladio cinctus cuius vaginam manu s. amplectitur; dextra chlamydis nodum tangit. Toto habitu pavorem et trepidationem profitetur. Iuxta eum sinistro arae angulo mulier se acclinat tunica pallioque quo caput quoque velatur vestita et ipsa ad s. spectans manu d. velamen illud a facie removens. A d. accedit vir barbatus tunica picta pallioque vestitus diademate radiato ornatus, qui manu s. portat sceptrum aquila coronatum; dextra cuius plaga exterior spectanti adversa est recusandi gestum facere videtur. Ab altera parte ad aram accedit iuvenis tunica picta chlamyde caligis vestitus diademate radiato coronatus manu d. duas hastas umero acclinans. Supra personas descriptas dei conspiciuntur: supra regem Insania anguibus crinita facem et anguem manibus tenens, supra senem et mulierem Venus cum Amore, supra iuvenem Suada.

Apollodorus II 4, 3, 6 narrat Perseum, cum post Andromedam liberatam Seriphum reverteretur, invenisse Danaen matrem et Dictyn ad aram confugientes, ut evitarent Polydectis violentiam; a Perseo Polydectem torpefactum matrem liberatam Dictyn regem Seriphiorum factum esse. Idem haud dubie argumentum fuit Dictyis fabulae Euripideae, quam Welcker e fragmentis ita restituit, ut Perseum incognitum ad insulam advectum a Polydecte domicilium et Danaen in matrimonium ducendam petere statueret. Quae si recte coniecit vir doctissimus, nonne optime ad tragoediam illam quadrat pictura nostra? Rex nimirum Polydectes est; senex et mulier Dictys et Danae sunt, qui ab illo vexati ad aram confugerunt; iuvenis Perseus est reliquis ignotus, qui cum Polydecte pacisci conatur priusquam vim adhibeat. Etiam di singulis personis additi optime explicantur: supra Polydectem libidine obcaecatum Insania, supra Perseum paciscentem Suada, supra Danaen Venus illius tutatrix cum Amore. Perseum in hac pictura non insigniri solitis attributis consentaneum est, quia non vult agnosci a Polydecte. Quibus

---

[1] Varias virorum doctorum interpretationes collegit Reinach vases . 104 s.

[2] Griechische Tragödie p. 668 ss.

de causis ad ipsam fabulam Euripideam revocandam censeo picturam nostram, nisi quod pictor contraxit duas scaenas; nam cum quattuor personae non una esse in scaena possint, necesse est Polydectem in alia tragoediae parte cum Dictye et Danae, in alia cum Perseo agere.

Vidimus quomodo poetae ut Aeschylus Sophocles Euripides Persei fabulam conformaverint et artificibus tractandam praebuerint; iam quaeramus, quid magni artifices ipsi ad fabulam tradendam atque exornandam valuerint.

De Thrasymede iam supra actum est; praeter illum Perseum caelaverunt Pythagoras Rheginus (K d) et Myro cuius statua in arce Athenarum collocata erat (K e). Ad Pythagorae Perseum fortasse referenda sunt capita P 5, 6, quae ad medii saeculi quinti exemplar redeunt, formam autem a capitibus Myroneis diversam praebent. Cum his cognatum esse nummum cyzicenum antiquiorem P 29 iam supra monstravi. Ad Myronem referre malim Perseum stateris Cyziceni recentioris P 30, quippe cum illius aetatis cyziceni plurimas statuas atticas in nummis suis repetiverint, velut Cecropem Triptolemum Tellurem tyrannorum interfectores. Parum autem ex illo statere cognoscitur, quomodo mota fuerit quae exemplari fuit statua, quia in nummo Perseus ad sagittarii Daricorum exemplum genua flectit, quo fit ut totus corporis habitus immutetur [1].

Pictores fabulam nostram tractasse scimus Niciam, qui pinxit Danaen (A a) et Andromedam (R), et Artemonem, qui fecit 'Danaen mirantibus eam praedonibus' (C b). Hanc Artemonis picturam suo iure agnoscere sibi visi sunt viri docti [2] in imaginibus Pompeianis C 3—8, quae Danaen exhibent ad Seriphi oram appulsam, quam circumstant piscatores. Omnia enim quae servata sunt sex exempla ad eandem originem redeunt, licet varietur figurarum numerus (in C 8 Danae sola est, in C 3 tres vel quattuor, in reliquis aut unus aut duo piscatores adsunt). Numero suo declarant picturae illae se derivatas esse

[1] Eodem modo plurimas figuras mutaverunt Cyziceni veluti Iovem Apollinem Silenum Herculem Demetra Victoriam, cf. Head hist. numm. p. 452.

[2] Cf. Helbig Untersuchungen über die campanische Wandmalerei p. 145; Overbeck Kunstmythologie des Zeus p. 412.

ab imagine clarissima. Valde dolendum est quod C 3 non melius est servata; eam enim propius quam reliquas abesse a pictura originali praeter figurarum numerum eo quoque probatur, quod Danaes vultus dolorem exprimit, et quod piscatores ibi non sunt iuvenes graciles et elegantes ut in C 4, sed homines robustiores atque rusticiores. Unde intellegimus, qui fieri potuerit, ut Plinii auctor piscatores haberet pro praedonibus; neque opus est ut in Plinii textum recipiamus Dalecampii commentum 'piscatoribus'.

Talem compositionem qualem praebent picturae Pompeianae Brunn [1] maluit adscribere Niciae Atheniensi, quem amavisse hominum multorum et varie motorum tabulas e Demetrii qui vocatur loco [2] collegit. Verum ut taceam pugnarum picturas quales apud Demetrium personatum Nicias poscit etiam longe abesse a piscatoribus Danaen admirantibus, admodum dubito, num ex illo II p. Chr. n. saeculi rhetore certi quid hauriri possit ad aestimandum IV a. Chr. n. saeculi pictorem, praesertim cum ea Niciae opera quorum accuratiores adsunt descriptiones: Nemea [3] et sepulcrum prope Tritaeam a Pausania [4] visum plane repugnent verbis a Demetrio pictori datis. Quae cum ita sint, malim cum Overbeckio credere Niciam pinxisse Danaen aurum concipientem, quam quidem illius aetatis Atheniensibus dilectam fuisse et lecythus multicolor A 3 et Menandri versus a Terentio (Eun. III 5, 35) translati testantur.

Scilicet inter parietum Pompeianarum picturas eae, in quibus Danae imbrem aureum excipit, minus bene excogitatae sunt, quam quae ad clara exemplaria revocanda sint. Quod in A 5, 6 Danae stans picta est, adeo alienum est a fabula, ut figuras illas a Ledae potius imaginibus [5] inepte translatas esse Helbig perspexerit. Nec minus socordis artificis est, quod in A 6, 7 praeter aurum Iuppiter ipse adest. Sine dubio ibi commixtae sunt duae fabulae formae; veteres enim iam fabulae interpretes ut Pherecydes [6] Iovem non nisi ad penetrandum tectum aeneum

---

[1] Griech. Künstlergesch. II p. 200.
[2] Demetr. de eloc. 76.
[3] Plin. 35, 37.
[4] III 22, 6.
[5] Cf. nn. 145—151 catalogi Helbigiani.
[6] Schol. Ap. Rhod. IV 1091.

in aurum se convertisse, priusquam autem cum virgine concumberet, rursus deum factum esse contenderunt.

Eodem illo Demetrii loco nisus Brunn Andromedam Niciae agnoscendam esse coniecit in tabula a Philostrato I 29 descripta; quae tamen descriptio propter compositionem miram ac paene ineptam propugnaculum semper fuit eorum qui Philostratos non descripsisse veras imagines contra Brunnium contenderunt. Neque vero opus est ut hoc loco retractemus de Philostratorum fide quaestionem difficillimam, quoniam si omisso Demetrio ea spectamus quae de Niciae arte alibi traduntur, offertur nobis compositio quae ad illum pictorem referatur dignissima non solum picturis R 1—10, sed etiam anaglyphis 11—16 statuis 18, 19 gemmis 20—22 nummis 23—26 tradita: Perseus post monstrum interfectum Andromedam de rupe descendentem adiuvat. Cuius compositionis auctorem fuisse Niciam post Heynium [1] Hermannum Benndorfium [2] fusius probavit Helbig [3], qui Ionem quoque a Mercurio liberatam (*Wandgemaelde* n. 131 ss.) Niciae vindicavit collatis Plinii verbis (35, 132) 'Nicias . . . . . fecit et grandes picturas, in quibus sunt Calypso et Io et Andromeda'. Optime ad confirmandam viri doctissimi sententiam accidit, ut nuper invenirentur duae illae imagines Ionis et Andromedae in una pariete inter se respondentes [4].

Altera causa nondum quantum scio prolata accedere mihi videtur ad compositionem nostram Niciae vindicandam: quod anaglyphorum atque etiam statuarum artifices eam tanto studio imitati sunt [5]; consentaneum enim erat, ut Niciae qui 'lumen et umbras custodiit atque ut eminerent e tabulis picturae maxime curavit' (Plin. 35, 131) opera etiam sculptores ad imitandum invitarent.

---

[1] Comm. Gotting. X p. 3.

[2] De anthologiae graecae epigrammatis pp. 62, 71.

[3] Untersuchungen über die campanische Wandmalerei p. 140 s.

[4] Cf. Roem. Mitt. V p. 233.

[5] Recte enim iam Hermann statuit primo ortam esse picturam deinde anaglypha tunc statuas. Excipienda autem sunt anaglypha R 15, 16 et nummus R 26, in quibus Perseus, quamquam a sinistra venit, tamen ut in reliquis exemplis Andromedae offert manum dextram, ut cogatur spectantibus advertere tergum. Qua positione ab anaglyphis aliena demonstratur artifices illos iam ante oculos habuisse statuas eiusdem generis atque R 18, quas tamquam a tergo imitati sunt.

De Parrhasii Perseo Hercule Meleagro in una tabula pictis (P b) nihil certi scimus; neque mihi quidem persuasit Robert [1] tres heroas in inferis interlocutos esse. Si ita res se haberet non puto adeo pressurum fuisse Plinium 'unam tabulam'. Malim cogitare de tabula votiva, qua poeta quidam tragicus victoriam trilogia partam celebraverit.

Parrhasii fere aequalis fuit auctor Persei praesente Minerva Medusam interfecturi, qua de compositione supra (p. 54) actum est. Intra quartum saeculum orta esse videtur pictura, in qua Perseus Gorgonibus sub arbore dormientibus obrepebat, nobis vasculo italico K 23 et nummo Daldiano H 6 tradita. Aevo autem Alexandrino adscribendos censeo Perseum et Andromedam Gorgoneum fonte reflexum contemplantes (S), quod ludicrae artis inventum tam saepe repetiverunt pictores Pompeiani. Eisdem temporibus vixit, si quidem vixit, Euanthes [2], cuius tabula ab Achille Tatio descripta (Q c) plane congruit cum picturis Pompeianis Q 13—15.

4. *De monumentis etruscis.*

Etrusci Persei fabulam prae ceteris dilexisse videntur; pleraque enim fabulae momenta, quae apud artifices graecos inveniuntur, ab illis repetita sunt. Nonnulla etiam, quorum exemplaria graeca non iam adsunt, ab Etruscis solis discimus. Iam in Anubis quod vocatur vasculo (I 6), in quo elementa graeca cum orientalibus miro modo confusa sunt, occurrit Perseus Minervae auxilio Medusam interfecturus ratione plane singulari fictus. Persei a Gorgonibus agitati forma antiquissima servata est tripode K 31. In uno scarabaeo G videmus Perseum eumque inscriptione significatum, qui alatas crepidas sibi alligat; etiam scarabaeus H 5 praebet compositionem alioquin non traditam.

Speculorum nostra maxime interest D 2, quia praeter pyxidem atticam D 1 unicam continet quae servata est Graearum imaginem; eorum enim monumentorum quae Gaedechens olim collegit [3] nullum certo ad Graeas referendum esse luculente

---

1 Bild und Lied p. 45.

2 Cf. Brunn, Griech. Künstlergesch. II 288.

3 De Graeis, Gottingae 1863.

demonstravit Kekulé [1]. Accedit quod iam Preller [2] una ut ita dicam qua tota nititur Gaedechensii disputatio voce Aeschylea κυκνόμορφοι nihil significari probavit nisi id quod Hesiodi verbis γραῖαι ἐκ γενέτης exprimitur.

Vas illud D 1 et speculum eo differunt, quod in illo tres adsunt Graeae ut apud Aeschylum (Prom. 821), in hoc duae ut apud Hesiodum (Th. 273) quocum nomina quoque (Enie — Ἐνυώ, Pemphetru — Πεφριδώ) congruunt. Praeterea artifex tuscus Graeas anus fecit, a quibus pingendis ars graeca quinti quidem saeculi et temporis subsecuti abhorrebat. Deest autem in speculo quam in pyxide videmus caecitatis significatio.

Alterum speculum animadversione dignum K 27 est in quo Phorcys persequitur filiae interfectorem, quam fabulam litteris non traditam hoc uno monumento discimus. Omnino non novi aliud Phorcyis simulacrum praeter Graearum pyxidem modo commemoratam. Etiam quod pisce inter Meanpes pedes natante sub mari rem geri indicatur diversum est a ceteris monumentis [3]: Perseus super mare volans caelatus fuit in Scuto Hesiodeo [4] et in Achillis clipeo Euripideo (K b).

Perseus alatus est in speculo antiquiore K 26. In I 20 Medusae dormientis quam Perseus aggreditur corpus videtur virile esse; facies deleta est. Nomen figurae illi adscriptum ‘Tarsu’ ad Ciliciae oppidum rettulerunt Koerte [5] et M. Mayer [6], fortasse recte, quamquam quae fabula subsit ignoramus. Perseus Tarsi conditor in nummo quoque Tarsensi [7] expressus esse videtur, ibi cum Apolline coniunctus.

In vasculis etruscis satis indiligenter tractatur fabula nostra: in K 24 Perseus caduceum gerit; atque in K 25 e Medusae collo pro capite equino prominet cervi caput, quod non diversae fabulae formae, sed pictoris socordiae tribuendum erit. In patera Q 10 quam supra memoravi (p. 46) Perseus currens caput Satyri

---

1 A. d. I. 1873 p. 127.

2 Griech. Myth. [2] II p. 63.

3 Tribus igitur locis facinus committitur in monumentis nostris: sub arbore Hesperidum, in inferis, sub mari.

4 Cf. Brunn, Abh. d. Münch. Ak. XI p. 20.

5 Etr. Sp. V 67.

6 Verh. d. Philol.-Vers. zu Görlitz 1889, p. 338.

7 Cf. infra p. 63.

portans compositus est cum Ceto. Tres igitur fabulas confudisse videtur artifex: Perseum fugientem, cum Ceto et cum Bacchi comitibus pugnantem.

Singulari modo tractatur Cetus a Perseo interfectus in urnis Q 23—26 in quibus solis Perseus monstrum debellat Gorgoneo. Ceterum res sculpta congruit cum fabula Euripidea.

Respicientes magnam monumentorum nostrorum copiam intellegimus, quanta semper gratia apud veteres floruerit Persei fabula, quam neglectam paene a poetis — nam praeter Euripidis Andromedam nullum fere opus poeticum quo Perseus celebraretur magnum eventum habuit — inde ab antiquissimis temporibus usque ad infima antiquitatis saecula innumerabilibus fere modis tractaverunt cuiusvis generis artifices. Eo magis notanda est monumentorum multitudo, quo pauciora vestigia in monumentis servatis reliquerunt aliae fabulae eaeque a poetis iterum atque iterum tractatae, velut e. g. Ulixis fabula.

Prope diem praeceptor mihi maxime veneratus G. Loeschcke publici iuris faciet opusculum quod inscriptum est: *Die Enthauptung der Medusa, ein Beitrag zur Geschichte der griechischen Malerei. Festschrift zu Ehren des fuenfzigjaehrigen Doctoriubilaeums von Heinrich von Brunn.* Quo libello tractavit vir doctissimus monumenta nostra I 8—13 atque conatus est reperire auctorem illius compositionis, de qua supra actum est p. 54. Tabula addita optime editum est fragmentum vasis Bonnense I 8.

Addenda.

ad p. 12. In vasculo Matritensi H 1 E. Bethe qui post Cuntzium vas inspexit atque primus ut ex arcula promeretur impetravit, repperit inscriptiones HEPMEϟ, ΓEPϟEVϟ, AIANƎΘA

ad p. 14. Vasculum etruscum I 6 nunc asservatur in museo Panormitano, cf. Martha l'art étrusque p. 474.

ad p. 15. Nummus Sebastenus Septimii Severi eodem signo ornatus atque I 13 editus est Zeitschr. f. Numism. XVII tab. II 15, cf. p. 23.

ad p. 21. In museum academicum Argentoratense nuper pervenit vasculum, quod ut in meum usum delinearetur liberaliter concessit Michaelis: 20*. Amphora parva artis pulchrae in utraque parte singulas figuras continens: A. Perseus chlamyde caligis pileo (?) vestitus capite reflexo ad d. currit, d. Medusae caput pulchrum, s. falcem portans. B. Mulier tunica longa vestita, magnis alis umeralibus praedita manibus protentis ad d. currit. Quae femina licet ad Victoriarum exemplar ficta sit, hoc loco non potest non esse Gorgo Perseum persecuta. Pictor Medusae formam pulchram ad sororem transtulit.

ad p. 27. Tertium eiusdem generis atque O 1, 2 vasculum Loeschcke vidit apud principem Ruspoli cf. A. J. VII, Anz. p. 74.

ad p. 28. Infra P 1 inserendum est:
1*. Lamina rotunda duplex in Cabirio Thebano inventa eiusdem generis atque ea quae edita est 'Ἐφ. ἀρχ. 1885 tab V 1; cf. Athen. Mitt. XIII p. 413.
In utraque lamina media circulus niger continet figuram rubram satis indiligenter pictam: A. Perseus currit cum harpe, B. Medusa tunica brevi vestita ad rupem acclinata dormit.

ad p. 32. Nummis Iconicis subiungendus est:
32*. Nummus Tarsensis cf. Imhoof-Blumer Zeitschr. f. Numism. III p. 333.
Perseus harpen s. tenens dextram offert Apollini.

ib. 37*. nummis Ponticis addendi sunt: a, b, Nummi Mithridatis Eupatoris et Mithr. Philadelphi cf. Z. f. N. IV p. 232, XV p. 205.
Perseus chlamyde et pileo phrygio vestitus alis pedalibus instructus dextra portat Medusae caput antiquius, s. harpen umero acclinat.

ad p. 33. Nummis Macedonicis subiungatur:
39*. Nummus Larissaeus Thessaliae cf. Z. f. N. p. 75.
Caput femininum)(Perseus ad s. conversus d. extenta harpen, s. demissa Medusae caput portat.

Vita.

Natus sum Friedericus Henricus Carolus Knatz a. d. III Kal. Mai. anni h. s. LXVIII in oppido Orb Hasso-Nassoviae provinciae patre Ludovico qui nunc Cassellae est a consiliis regiis iuridicis, matre Ella de gente Bode. Fidei addictus sum evangelicae. Anno post parentes mei in vicum Kaufungen prope Cassellam, anno LXXV Cassellam transmigraverunt, ubi litterarum elementis imbutus per novem annos discipulus fui Lycei Friedericiani iam tum Gideonis Vogt auspiciis florentis. Vere anni LXXXVI maturitatis testimonio instructus Lipsiam me contuli studiis philologis et archaeologis operam daturus. Inde anno post Friburgam Brisgoviae et post alterum annum Bonnam migravi, ubi per septies sex menses civis fui almae matris Fridericiae Guilelmiae Rhenanae.

Docuerunt me viri clarissimi Gardthausen Hanssen Hermann Maurenbrecher Overbeck Ribbeck E. Rohde Voigt † Lipsienses, Hense Herzog Holtzmann B. Schmidt Thurneysen Friburgenses, Bender Buecheler R. Kekulé Loeschcke Luebbert † Martius Neuhaeuser Nissen Thode Usener Wilmanns Bonnenses. In seminarium regium philologorum Bonnensium insigni Buecheleri et Useneri liberalitate receptus per ter sex menses fui sodalis ordinarius; ad seminarii historici exercitationes benevole me admisit Nissen. Exercitationibus ut interessem benigne concesserunt archaeologis Herzog Kekulé Loeschcke, epigraphicis Buecheler, philosophicis Martius. Quibus viris omnibus gratiam habeo maximam, in primis autem Buechelero Loeschckio Usenero quid debeam nunquam obliviscar.

Sententiae controversae.

I. Empedoclis v. 55 ed. Stein. lege:
ἀλλὰ κακοῖς μὲν κάρτα μέλει κρατέουσιν ἀπιστεῖν
μέλει Clementis Al. qui servavit versum libri.

II. Plat. Men. p. 37 D ἀλλ' ἆρα καὶ παιδὸς ἡ αὐτὴ ἀρετή, ὦ Μένων, καὶ δούλου ἄρχειν οἷόν τε εἶναι τοῦ δεσπότου, καὶ δοκεῖ σοι ἔτι ἂν δοῦλος εἶναι ὁ ἄρχων:
delenda sunt verba τοῦ δεσπότου.

III. a. Aen. Tact. XXII 13 lego:
Οἱ δέ τινες τοῦτό (sc. τὸ λίθους βάλλειν καὶ ἐρωτᾶν) φασι βλαβερὰν εἶναι· τοὺς γὰρ προσιόντας τῶν πολεμίων ἐν τῷ σκότει προαισθάνεσθαι οὗ προσιτητέον (προσπηγαιον M, corr. Haupt) ἐστίν.
οὐ M, ὅτι οὐ Haupt.

b. ib. XXXII 1
ἅμα (ἄλλα M, corr. Meineke) δὲ καὶ ὑποθυμιᾶν καπνὸν πολὺν ὑφάπτειν ὡς μέγιστον πῦρ ποιοῦντα
alterum verbum abundare cum perspexisset Hugius expunxit ὑποθομιᾶν καπνὸν πολὺν: delenda sunt potius καπνὸν πολὺν ὑφάπτειν.

IV. a. Plaut. Pers. 759
Statuite hic lectulos, ponite hic quae adsplent,
scribendum est: Sternite.

b. ib. 773
Bene míhi bene vóbis béne meae amícae! Optátus
hic mihi dies datus hodie est a b d i s
deleo 'ab dis' verba.

V. Calpurnii vv. I 13—15 quomodo explicandi sint docemur carmine Priapeo XIV.

VI. a. στυλοπινάκια (Anth. Pal. III) videntur esse columnarum caelatarum anaglypha.

b. Templum Apollonidis Cyzicenum fuit περίπτερος IV × VII columnarum versus meridiem directus. Columne XIX videtur postea addita esse; certe non peripteri partem efficiebat.